
MH
137.1
W71


HARVARD
UNIVERSITY
ARNOLD
ARBORETUM
PRESENTED ~ BY ~ CHARLES ~ SPRAGUE ~ SARGENT
1892

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/dissertatioinaug1741wilb




A
A
D
M
N
F
F
B
C
E
E
D
O
O
K
L
I
G
G
H
H
P
H
H

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
AVRANTIIS
EORVMQVE
EXIMIO VSV MEDICO

QVAM

PRAESIDE

LAVRENTIO HEISTERO

MED. D. SER. DVC. BRVNOV. AC LVNEB. A CONSILIIS AVLICIS ET ARCHIATRO, PRAXEOS CHIRVRGIAE AC BOTANICES PROFESSORE PVBLICO ET PRIMARIO, ACAD. SCIENT. CAES. NEC NON REG. LOND. AC BEROL. COLLEGA LONGE GRAVISSIMO FACVLTATIS SVAE SENIORE ET H. T. DECANO SPECTABILI

DN. FAVTORE PRAECEPTORE AC PROMOTORE

DEMISSO CVLTV AETATEM SVSPICIENDO

PRO GRADV DOCTORIS

MORE MAIORVM RITE IMPETRANDO
IN IVLAEO MAIORI
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS CONSVETIS
PVBLICAE ERVDITORVM VENTILATIONI SVBIICIET
RESPONDENS AVTOR

IOAN. HERMAN. ANTON. WILBERDING

MONASTERIO-WESTPHALVS.

D. XIV. DECEMBRIS MDCCXLI.

HELMAESTADII, LITTERIS SCHNORRIANIS.

PRAEFATIO.

NEmini ſane vel ruditer in Materie Medica exercitato ignotum erit, quantas Medicina referat utilitates, quantaque perſentiat levamina, *quando ex ſelectis peculiaria argumenta ſive themata, e fonte Pharmaceutico deſumta, ſpecialius perſcrutentur, eorumque natura, facultates & uſus* maiori ſtudio perſpecti ac ſic penitius deſcripti cum aliis communicentur: Tali enim ratione remediorum qualitates, proprietates & affectiones certe ac rite cognitae eo melius innoteſcunt, ut ea poſtea non inter ſpem & metum, uti ab antiquioribus aut & ab imperitis aliis quam ſaepiſſime factum eſſe videmus, ſed ſecurius, certius, maiorique cum fructu indigentibus adhiberi valeant.

His utilitatibus permoti iam multi & egregii in arte noſtra Viri, magna cum laude deſudarunt, ut partim in Diſſertationibus Academicis, partim in peculiaribus ſcriptis multa medicamina eorumque attributa ſpecialiori diligentia accuratius deſcriberent, quamvis diverſi impari diligentia & ſucceſſu.

Cum vero, quantum cognoſcere aut experiri mihi licuit, in peculiari quadam Diſſertatione nemo adhuc egerit de *Aurantiis*, præſtantiſſimis illis in re medica fructibus & *pomis* vere *aureis*, quorum partes, flores & fructus atque ex

his *praeparata* inſignes prae multis aliis vires in Medicina exerunt; me haud inutilem laborem ſuſcepturum fore credidi, quando Speciminis Inauguralis loco delicias has Magnatum, imo totius generis humani, ſuaviſſimae ſcilicet huius atque utiliſſimae arboris eiusque partium *naturam, vires & uſus* paullo curatiori ſtudio mihi perveſtigandos ſumſerim.

Non equidem me fugit, quosdam, praeſertim Reverendum P. IOH. BAPT. FERRARIVM Soc. I., MORINVM & QVINTINIVM Gallos, I. COMMELINVM Batavum, HENRICVM AB OSTEN, IOH. CHRISTOPH. VOLCKAMERVM, Mercatorem Norinbergenſem curioſiſſimum, IO. GEORGII Medici & Botanici fratrem, Germanos, atque ultimo PAVL. BARTH. CLARICVM, Italum, aliosque praeſtantiores cum ex profeſſo, cum in Heſperidibus ſuis de *Aurantiis* egiſſe; ſed egregii hi Viri plerumque *non tam ad uſum Medicum*, licet varii ex illis eiusdem omnino obliti non fuerint, *quam ad eorum culturam* vel *hiſtoriam naturalem* reſpexerunt; quidquid etiam de virtutibus eorum docuerunt, parum eſt atque ſaepe confuſum: ideoque omnem pro virium mearum tenuitate movebo lapidem, ut *omnia*, quae de *Aurantiis* praecipue & cum fructu, tam botanice quam medice, dicenda ſunt, apto ordine proponam.

Diſpeſcam vero praeſens argumentum in tria Capita, quorum primum de *Aurantiorum Hiſtoria naturali*, *Nomine* ſcilicet, *Antiquitate*, *Definitione*, aut *Deſcriptione*, *Diverſitatibus* ſive diverſis ſpeciebus hodie maxime obviis, *characteribus* item ſive *notis Botanicis* ab aliis differentibus atque *cultura* hac in regione obſervanda aget. Alterum de *partibus eorum ac viribus medicis*, & in quibus morbis praecipue proſint, tractabit. Tertio & ultimo *praeparationes uſitatiſſimas* atque praeſtantiſſimas *modumque eas rite adhibendi* tradere allaborabo. Qui conatus, ut feliciter eveniat, atque in Divini Nominis gloriam & in proximi cedat utilitatem, Deum Immortalem ac T. O. M. ſupplex precor atque obteſtor.

CAP. I.

CAPVT I.

TRADENS

AVRANTIORVM HISTORIAM NATVRALEM.

§. I.

ANtequam ipſam definitionem, differentias, aliaque de Aurantiis conſideranda aggrediamur, primo in *Etymologiam* & *ortum* eorum inquirere fas erit. Inextricabilis autem hic ferme occurrit *labyrinthus* apud autores, *ratione arboris huius eiusque fructuum nominis & originis*, ut, quid de illorum diverſis ſententiis ſentiendum, fere dubii haereamus, quisque enim pro ſuo ſtat foco & opinionem ſive ſententiam ſuam diverſimode omni conatu defendere ac comprobare ſatagit. Mirandum ſane eſt, quod ſuaviſſimi hi fructus atque arbores, *hortorum ornamenta*, viſus, guſtus & odoratus oblectamenta praeſtantiſſima veteribus non magis & citius innotuerint; imo quibusdam videtur, *antiquiores Romanos* poma haec non poſſediſſe, quia in illorum ſcriptoribus praeclariſſimis, praeſertim VIRGILIO, THEOPHRASTO, CELSO, PLINIO, rei ruſticae ſcriptoribus antiquis & aliis nullum de *Aurantii* vocabulo reperitur veſtigium. Loquuntur quidem hi paſſim de *malis Medicis*: Sed utrum ſub his *Citria* an *Aurantia* intellexerunt, lis fuit inter autores, quae forte nunquam recte ad finem perducetur. IO. BAVHINVS tamen, Medicus & Botanicus clariſſimus, autumat *Aurantia veteribus nota fuiſſe*, id quod probare contendit, quia THEOPHRASTVS DIOSCORIDES & PLINIVS paſſim commemorent *malorum Medicorum*, quod haec *non mandentur*, cenſetque hoc de *malo aurantio* verum eſſe: hinc ſuſpicatur malum medicum veterum eſſe *malum aurantium* noſtrum. Sed tantum abeſt, ut potius non in condimentis tantum ſed & pro cibo

An veteres ea cognoverint?

cibo vulgo aſſumantur; *pulpa enim interior non tam acida eſt, quam Citri vel Limonis*, ſed in multis dulcis & ſuaviſſimi ſaporis: ideo in Italia, quemadmodum a multis illuc iter facientibus obſervatum eſt, variique etiam ſcriptores illud referunt, ruſtici & nautae mala aurantia cum pane pro refectione comedere ſolent. RAIVS autem argumento priori ſententiae contrario eadem probare velle videtur: refutato enim I. BAVHINO, inquit: *Eſt inſuper in Europam nuper in-„vectum aurantii quoddam genus eſculentum, Chinenſe dictum, „ſaporis delicatiſſimi, cuius etiam cortex una cum carne comeditur. „Quocirca, quod Domitianus Matianum malum ſuper coenam ſum-„ſit, non obſtat, quo minus malum aurantium hodiernum vel Ceſtianum vel Matianum Plinii fuerit.* Verum hoc nullam admittit probabilitatem, quia Plinius malo *Ceſtiano* vel *Matiano* notas, aurantio noſtro competentes, nullas adiecit. Idem dictum eſto de *Citrangulo* AVICENNAE.

§. II.

Nominis origo.

In perſcrutanda *Nominis Aurantii origine* autores varios non convenire docent variae illorum nobis relictae ſententiae; quarum praecipuas hic recenſere a ſcopo noſtro non alienum erit. Quidam enim ſagaciſſimi interpretes a) appellant vel *Arantium* & deducunt nomen 1) ab *Arantia*, pomorum huiusmodi feraciſſimo *Achaiae* in Graecia oppido; quo *mala Heſperidum* ex Africa primum HERCVLES tuliſſe ferebatur, ſed ſententiam hanc praeter alios optime refutavit Eximius Polyhiſtor SALMASIVS b) dum dicit. „Ridiculi ſunt, qui ab *Arantia* urbe id nomen deducunt, quae „urbs eſt Peloponneſi, in quam primum volunt mala ab „Hercule inlata, cum ab Heſperidibus rediret. ἀϱαντια urbs „antiqua Peloponneſi, quae poſtea φλιȣς dicta eſt. At nomen

a) Vid. *Ferrar.* Heſper. p. 43.
b) in Exercit. Plinian. p. 671.

„men *Aurantiorum* vel *Arantiorum* ſub extremis latinitatis „demum temporibus auditum eſt, quibus nulla iam vel „*ἀρραντία* fuit vel φλιȣς. Praeterea ſi ab illo oppido hoc „nomen inveniſſent, *Graecis uſitatius quam Latinis fuiſſet*, im„mo Latini a Graecis hoc ſumſiſſent. Digni non ſunt, qui „pluribus refellantur, tam abſurdae ſententiae autores „ vel 11) *ab oppido* vel *Principatu Galliae*, Aurantio, ſeu Arauſio : (*Orange*) ſed hinc etiam derivari nequiit, quia olim, cum nomen hoc iam in uſu fuit, non copioſe ibidem fuerunt culta. Vel. 2) vocant *Aranium* a), a Gente Perſarum, quae Aranii ſolebat vocari, quaſi *Arianum*, id eſt, *Perſicum;* eſt enim *Aria*, ut ait HELLANIVS b) aliique, Perſidis regio; verum derivatio haec nimis eſt ambigua, valde coacta & difficilis. Conſentit mecum hac in re STAPELIVS c) qui etymologos huiusmodi nugatores vocat. 3) RVELLIVS d) & MONARDVS e) cum quibus conſentire videntur SIMON PAVLLI f) & CASPAR BAVHINVS, g) in eo conveniunt ſuſpicantes, *Aurantium, ignotum antiquioribus, ab inſitione mali Citrei in Punicam procreatum eſſe*, & quia nova haec productio mala protulerit *colorem aureum* prae ſe ferentia, nomen *aurei* ſive *Aurantii* retuliſte, eo forte permoti, quia apud priſciores nulla de illis facta eſt mentio. Quanquam haec ſententia a non nullis hac in re ignaris acceptata, primo intuitu maxime veriſimilis & probabilis videtur, tamen infirmo ſtat talo: quia vero inſitio talis, quemadmodum non pauci & Botanici & hortulani h) imprimis

B in-

a) Vid. *Braſavol.* in praef. exam. ſimpl.

b) Vid. *Plin.* lib. VI. Cap. 34.

c) in Annot. ad Theophr. Eres. p. 345.

d) Libr. de Nat. Stirpium Baſil. 1543. recuſ. p. 144.

e) Vid. eius Epiſtola ad Quadram de citriis & aurantiis, adiecta Cluſ. Exotic. Antw. 1605. edit.

f) Quadrip. Botan.

g) Theatr. Botan.

h) Vid. Ferrar. Heſp. p. 43. & Salmaſ. libr. cit. p. 672.

inter recentiones PAVL. BARTH. CLARICVS a) id experti teſtantur, non alios producit fructus, quam arbor, de qua deſumta eſt gemma, niſi quod parvam inducat varietatem coloris; eam ob cauſſam haec deductio non ſatis arridet. 4) SALMASIVS b) contendit, veteres Heſperidum mala vel Heſperidas vocaſſe *χρυσᾶ μῆλα*, *chryſomela*, h. e. *mala aurea, quod aureo colore eſſent*, quae infima latinitas, quae ſaepe res cognominantes pro cognominatis ſumſit, dixiſſet *Aurantia.* Interea vero hic autor poſtea etiam fatetur, veteres paſſim auri colorem citreis quoque attribuiſſe. 5) HIERON. CARDANVS, c) ANTONIVS NEBRISSENSIS d) & I. COMMELINVS e) autumant, *Citreum*, *Limonem & Aurantium*, quia non adeo multum inter ſe differunt, & ignota fuit veteribus *Limonis* & *Aurantii* appellatio, olim unum genus arboris ſub nomine communi *Medicae*, *Citreae* vel *Heſperidum* mali, quae Latinis eſt *citrum*, f) fuiſſe, & levi confuſaque notitia, non ſatis ab antiquitate exploratum, g) quod tamen diu poſt, & quidem ſeculo demum, quantum cognoſcere potui, decimo ſexto oculatiores Medici & Botanici non nulli ob qualemcunque fructuum diverſitatem in tria illa *citri*, *limonis* & *aurantii*, potiſſimum genera, imo tandem in plura diſtinxerunt, atque diverſis nominibus inſigniverunt: Si ulla ſententia videtur probabilis, certe haec ultima, quod ſcilicet *ſub uno*

a) Vid. eius Iſtoria e coltura delle Piante p. 718.

b) Libr. cit. p. 671.

c) de ſubtil. Libr. 8vo.

d) in Proemio Diction. ſui.

e) Nederlanſe Heſperid. p. 14.

f) Vid. *Salmaſ.* Libr. cit. p. 671.

g) quamvis variis veteribus citrei nomen non fuerit incognitum, tamen haud reperitur apud CELSVM, praeſtantiſſimum Romanorum ſcriptorem Medicum, qui TIBERII tempore vixit, quod indicat, illud tunc temporis in uſu medico nondum fuiſſe.

uno citri nomine venerint & a recentioribus demum diſtincta ſint, & autoritate & ratione eſt probatiſſima, cui ergo tanquam maxime veriſimili ſubſcribere non vereor. *Quisnam vero primus Heſperidum mala diſtinxerit* & diverſimode nuncupaverit, eruere difficile eſt. Quantum mihi in quamplurimis, quos hanc ob cauſſam evolvi, ſcriptoribus, inveſtigare licuit, opinione ducor cum PAVL. BARTH. CLARICO a) qui putat NICOL. MYREPSIVM primum fuiſſe, qui ſub vocabulo *Nerantzea* b) aurantii mentionem fecerit; quia 1) vocabulum *τὸ Nerantzea*, quod MYREPSIO graece eſt νεράντιας c) magnam habeat ſimilitudinem cum verbo *aurantii*, atque inde ſine dubio ortum traxit Hiſpanorum vocabulum *Neranzia* ſive *Neranja*, item *Neranjo*, *Neranyos* & *Neranzias*, quod adhuc hodie *aurantium* ipſis ſignificat; 2) quia *Nerantzea* una cum *Citro* ſimul, quod quamplurimis Practicis ſolenne, in una formula Medica a MYREPSIO ibidem combinata eſt, hinc coniecturae CLARICI tam diu non omnem eſſe denegandam fidem arbitror, quod MYREPSIVS *primus* forte fuerit, *qui aurantium & citrum diſtinxerit*, d) quam diu non alia ſententia proferatur veriſimilior, & melioribus argumentis confirmetur, praeſertim cum & ipſum Italorum vocabulum *Aranzo* ſive *Aranzio* & *Arancio* a Graeco MYREPSII *Narantzias*, abiecta litera prima N, originem ſumſiſſe videatur. SALMASIVS quidem L. cit. adducit, *ſcholiaſtem Nicandri* malum Medum vel Medicum interpretari νεραντζίον, ſed quo loco hoc dicat, omittit,

 hinc

a) Vid. Eius Iſtoria e coltura delle Piante in Venezia 1726. in 4. edita, quem Librum egregium & *Linnaeus* & *Segnierius* in Bibliothecis ſuis Botanicis nuper editis adhuc omiſerunt.

b) Vid. *Nic. Myrepſi* Medicament. opus, ſtudio *Leonh. Fuchſii* e Graeco in latinum converſum & Lugduni 1569. edit p. 370.

c) conf. *Stapel.* Not. in Theophr. Ereſ. & *Salmaſ.* exercit. Plin. itemque *Menzel.* Lexic. Plantar. titulo mali aurantii.

d) Vixiſſe hic creditur circa annum 1200.

hinc reperire non potui. Sic MELCH. SEBIZIVS in Herbario Tragi a) ait: in Libello Nicandri, Alexipharmaca dicto, datur τὸ μῆδον μῆλόν ἐϛι τὸ μηθικὸν, τὸ νεράνζιον. h. e. Medicum malum eſt, quod *Nerantzium* vocant; ſed mea ſententia hic autor haec Nicandri verba finxit, forte ut nova quaedam proferre poſſit; nam nullum νεράντιος apud Nicandrum inveni vocabulum.

§. III.

Aurantiorum ortus.

Unde vero Aurantia noſtra ortum trahant, rurſus autores diſſentiunt. Mitto Heſperidum & inſitionum fabulas, & confugio ad Hiſtorias, quae referunt veteres credidiſſe *Aſſyriam*, *Perſidem*, *&* *Mediam* eſſe natale ſolum *malo citreo*, b) ex quibus regionibus in Graeciam & Italiam illata ibidem ſedem fixerunt, hinc ex his & *Aurantio*, citreo valde affini, eadem accidiſſe fata vero ſimile eſt: hinc fuerunt non nulli aſſerentes, *citros tantum apud Medos & Perſides naſci. Sed* FERRARIVS ex P. LOBI relatione c) memorat, *Africam* quoque & praeſertim *Aethiopiam* atque calidiſſimas fere quascunque ſub zona torrida ſitas regiones, quam plurimas, eiusmodi arbores alere: nam ut COMMELINVS ex DAPPERI Itinerario refert, circa urbem, Marocco dictam, hortum eſſe regium 50000 citris & totidem aurantiis impletum, multosque hanc regionem pro horto veteri Heſperidum habere. LINSCHOTTVS etiam tradit, d) citros & aurantias copioſiſſimas & praeſtantiſſimas in Guinea & China quoque reperiri; id quod BALDAEVS etiam de inſula Zeylon affirmat, cuius poma omnia cetera praeſtantia ſuperare exiſtimat. Imo & *Indiam orientalem*, praeſertim *Chinam* inſulasque adiacentes, *Salſettam*, abundare hiſce arboribus & fructibus praeſtantiſſimis, unde per mare rubrum

a) Edit. Argentorat 1630. p. 815.
b) conf. *Salmaſ.* L. c. & Ferrar. Heſper. p. 47.
c) in Heſperid. l. c. d) in Itinerario ſuo.

brum forte in Aegyptum & inde in Graeciam veniſſe, ſic ut hac ratione in MYREPSII & poſtea aliorum cognitionem venerint, nomenque eius *Naranziae* forte ſimul cum fructu accepit ex Indicis Regionibus, vel fecit ex vocabulo Bramanno, *Naranga*, quo aurantium appellant, quemadmodum & nos Europaei hodie adhuc nomina peregrina fructuum exoticorum, ut *Ananas*, *Cacao*, *Coffee* &c. ſaepe retinemus, & in noſtras linguas transferimus, quae cum fructibus ex Indicis aliisque exteris regionibus accepimus; vel forte ab *aureo colore*, quem habent, primo *aurantium*, & poſtea corrupta aliquo modo pronunciatione, ab Italis *Aranzo*, *Arancio*, & *Arantium*, atque a Gallis *Orange* dicta ſunt. a) In hoc quidem paſſim autores convenire legimus, PALLADII ſtudio ante quindecim ſecula in *Italiam*, praecipue & Sardiniam & Neapolim eſſe importata; quod mihi tamen haud indubium videtur, ſed veritati magis conſentaneum eſt, *ante* PALLADIVM *mala Heſperidum in Italia culta fuiſſe*, in quo ipſe conſentit, dum *citrum in Sardinia & regno Neapolitano optime naſci & ali aſſeverat.* Si vero laudatus autor primus haec in Italiam tranſtuliſſet, me hercule, hoc ſilentio non praeteriiſſet; nullibi autem apud ipſum legimus ſe ſibi hanc laudem vindicaſſe. Hoc tamen laudis PALLADIO iure debemus, quod pleniora magisque ſolidiora de citro luculenter ac perſpicue tradiderit. *In Italia* interim tam *feliciter propagata ſunt*, ut primo & hortos & viridaria tantum ornaverint, ſed poſtea ita ea multiplicaverint, ut hodie natale proprium illis eſſe videatur, & non ſolum ſibi, ſed & aliis frigidioribus Europae regionibus

a) Quod vero Heſperidum poma non ſolum ſint *in veteri orbe*, ſed etiam in *novo*, ſive *America*, eaque etiam praeſtantiſſima, teſtantur maxima illa poma Aurantia, quae *Pompelmus* vulgo ſive *aurantia Curaſſavica* hodie appellant, & ex calidiſſimis quoque Regionibus Americae in Europam quotannis nunc transferuntur.

copioſe eis proſpiciat. a) Poſt haec & aliae Europaeorum gentes, praecipue *Hiſpalenſes & Luſitanae* ſibi ea adferre curarunt b) & in propagatione, favente coelo ſive aëre calido, hae tam felices evaſerunt, ut tota illorum regna amoeniſſimis ſimul ac utiliſſimis his arboribus glorientur & tanquam ſylvis abundent, fructusque earum in boreales Europae regiones magna copia mittere poſſint, aſſeveratque COMMELINVS c) quod ingentem copiam horum fructuum in Hollandiam ſingulis annis perferant. Ex Italia, Luſitania & Hiſpania faciles in Galliam & tandem etiam in Germaniam, Magnam Britanniam, Belgium, aliasque boreales regiones migrarunt Heſperides, ubi nunc quoque quam ſtudioſiſſime coluntur, ut fructus earum variis in locis magna ſatis copia colligi poſſint. Quantum vero ſpeciatim Germania noſtra nunc arboribus hiſce ſuperbiat, quamvis centum ab hinc annis adhuc valde rarae in ea fuerint, d) nemini ignotum erit, cui Principum & Magnatum noſtrorum e) privatorumve quorundam *Viridaria* f) magnificis his deliciis luxuriantia (quae vulgus hodie vocabulo gallico *Orangerie* appellat) vel Academiarum Hortos Medicos ſplendidiores inviſere licuit, ubi paſſim inveniuntur *Aurantia*, quae & magni-

a) *Volcamerus* in Heſper. Cont. p. 168. aſſeverat, arbores circa Genuam urbem in libero campo eſſe, quorum una, *uno anno, duo ad tria millia pomorum* proferat, quod fere incredibile.

b) id quod ipſe *Nic. Monardus*, Hiſpanus, in Epiſt. de *Citreis & Aurantiis* ſupra citata affirmat.

c) in Heſp. Belg. ſuis p. 2.

d) hoc de Norimberga imprimis aſſeverat *Volck.* in Heſper. ſuis, ubi nunc tam copioſae ſunt.

e) eminent hic horti Herrenhuſani, Dresdenſes, Ser. Ducis Brunſ. Salsthalenſes & Ser. Marchion. Badenſis, Carlsruhani.

f) ut *Munchuſanus*, in Saxonia inferiori, cuius *Volcamerus* in Heſper. ſui, tam ſaepe meminit; *Boſianus & Appellianus*, Lipſiae; *Volcamerianus*, Norimbergae, aliique.

magnitudine, differentiarum multitudine, colore, ſapore, florum foliorumque diverſitate aliisque qualitatibus fructibus Italis, Gallicis ac Hiſpanicis palmam reddere poſſunt ambiguam. Veriſimile mihi videtur *Aurantia* ex pomis Heſperidum Gallis ac Germanis primum optime innotuiſſe, quia loca, ubi aeſtate magna copia arborum Heſperidum omnis generis in hortis magnatum libero aëri expoſita eſt, non *citreta*, ut olim eiusmodi loca a citreis, veteribus magis notis vocarunt, ſed gallico vocabulo, *Orangerie* ipſis appellantur, & domus illae aſſervandis hiſce arboribus hyeme deſtinatae, itidem *Orangerie*, vel germanice *Pommeranzen-Haeuſer*, hoc eſt, aedes aurantiorum nuncupantur.

§. IV.

Infinita fere habet aurantium noſtrum *Synonyma* ut videatur, nullum fere autorem, qui vel obiter hoc tetigit, nullasque gentes, quarum tellus arbores has nutrit, peculiare huic nomen non impoſuiſſe, quorum praecipua hic in medium proferre non abs re erit. Vocatur autem hodie uſitatiſſime & cumprimis Medicis & Botanicis, *Aurantium* vel *Aurantia;* TRAGO dicitur *Arantium* & *Nerantium ;* ab Illo etiam appellatur *Arangia*, *Arantia*, & *Anarantia ; Aureum malum* BELLONIO multisque aliis; *Malum Auratum* Salmaſio ; *Arangia* & *Arangius* Cordo in Dioſcoridem ; *Arengia* Caeſalpino & Ruellio ; *Narantium* Hermolao ; *Naringa* aut *Naranga* Brachmannis ; a) unde quibusdam *Narangium* ; b) Graecis νεράντιον vel νεράντια μῆλα ; Gallis *oranger* (unde trita illa Gallis & nobis Germanis vocabula *Orange* & *Orangerie*). Italis *Arancio*, *Aranzo* & *Nerancio ;* Hiſpanis *Neran-*

Synonyma.

a) Vid. *Ferrar.* Heſper. p. 45. & *Claric.* de cult. plantar. p. 718.
b) Vid. Blanc. Lexic. Edit. *Schulzianae* ; in editione vero ab autore ipſo Amſtelodami edita hoc non extat.

ranzias ſive *Neranias* & *Naranio ;* Anglis *an Orange ; Pomerancy* Bohemis ; Danis *Pomerantz - Trae* & *Pomerantz-Eblen-Trae ;* Germanis *Pommerantze ;* quaſi nomen a Gallico *Pomme d' Orange* mutuaſſent. Denique etiam hic praetermittere nolui, Synonyma *florum* aurantiorum indicare: qui, apud Italos & in pharmacopoliis flores *Naphae* & *Namphae* nuncupantur, unde & aqua florum naphae proſtat.

§. V.

Definitio. Explorata Etymologia & Synonymia iam lubet, imo ſane decet *definitionem* aut *deſcriptionem* arboris *Aurantiae* adducere, quam vel ſimilem recentiores iique praeſtantiſſimi Botanici, & nominatim RAIVS, TOVRNEFORTIVS, BOERHAAVIVS, LVDWIGIVS aliique praeſtantiores e recentioribus Botanicis & Medicis amplexi ſunt, & adhuc, paucis exceptis, amplectuntur, quae ad mentem Celeb. *Boerhaavii* ita ſe habet. a)

FOLIA, rigida, cum appendice ad pedunculum cordiformi.

CALIX, inſtar cotylae orbicularis, parum cavus, brevis, quinquifidus, vel & ſciſſus in ſex ſegmenta.

FLOS, pentapetalus, roſaceus, multis ſtaminibus infra concretis ornatus, (quibus addo : *Petala plerumque oblonga, ſubtus foraminulis ſeu poris, fere ut in foliis herbae Hyperici, praedita.*)

Ex imo centro calycis placenta orbicularis nata ſuſtinet *ovarium* fere rotundum b) tuba longa inſtructum, id fit fructus globoſus (*aureo colore donatus & punctatus*) cortice carnoſo cinctus, diviſus in varia loculamenta ſucci & veſicula-

a) in Ind. H. L. B. alt. P. II. p. 239.

b) quod autor hic ovarium appellat & in Tabula noſtra aenea Litt. E E indicatur, ab aliis *embryo*, quia fructus inde fit, ab aliis *germen* appellatur.

larum plena, foeta ſeminibus calloſis. Vt vero deſcriptio haec eo melius inclareſcat atque in ſenſus incidat, *figuras Aurantii* ex *Tourn.* Inſt. rei herb. hic apponere conſultum duxi. Eſt autem *Aurantium* ſecundum TOVRNEFORTIVM plantae Genus flore A A roſaceo, plurimis ſcilicet (*quinque potiſſimum*) petalis B in orbem poſitis conſtante, ex cuius calyce D D ſurgit piſtillum a) E E (*ſtigmate globoſo* N) & foliolis C in ſtamina deſinentibus ſtipatum, quod exinde abit in fructum F F fere globoſum, cortice carnoſo G (*nunc tenuiori, nunc craſſiori*) obductum, b) in varia loculamenta H diviſum c) ſucci & veſicularum plena, ſeminibusque I foeta calloſis. His notis adhuc addit folia O ad exortum cordiformia P, quo potiſſimum ſigno a *Citris & Limonibus* aurantii arbores diſtinguit; quoniam vero in deſcriptione *antheras*, h. e. partes illas flaveſcentes in ſummo ſtaminum, quae partium genitalium virilium vicem in hoc flore, ſicut *piſtillum*, ſive *ovarium cum tuba*, muliebrium, quas ambiunt, praeſtant, *omittit* & TOVRNEFORTIVS & BOERHAAVIVS eas non ſolum ad fig. C Litt. M indicare volui, ſed eae etiam ad Litt. A A videri poſſunt, atque ſimul moneo primo, quod id, quod ille ſub Litt. C *foliolum* appellat, non niſi ſtamina infra coalita ſive concreta eſſe, ſicut hic plerumque eſt atque BOERHAAVIVS recte docuit, & deinde quod flores aurantiorum *hermaphroditi* ſint, dum partes genitales & *viriles* & *muliebres* ſimul continent.

§. VI.

Tanta igitur inter Aurantium & Citrum & praeſertim in Me- *Differentia.*

C

a) hoc *Boerhaavius* ovarium *cum tuba* vocat. b) corticem hunc in quibusdam ſpeciebus eſſe tenuem, in quibusdam craſſum imo craſſiſſimum videri poteſt ex elegantibus figuris Heſperid. Ferrarii & Volckameri. c) loculamentorum licet ſaepiſſime adſint. 8 vel 9, tamen ſaepe etiam pauciora vel plura adeſſe ex iisdem figuris videri poteſt.

dicina uſitata, *reperitur differentia*, ut poſtquam ſemel haec in diverſa genera ſeiuncta fuerunt, nullum fere Botanicum aut Medicum in deſcribendis hiſce plantis errorem commiſiſſe, i. e. unum pro altero genus ſubſtituiſſe, aut in Medicina adhibuiſſe, ſed omnes diſtinctionibus ſuis quam accuratiſſime convenire reperio; iuvabit tamen *differentias* hic adhuc paullo curatius recenſere. *Differt enim* a CITRO, *Foliis*, quae in hac ſunt *laurinis* ſimilia absque appendice cordiformi; deinde *Flore*, qui in illis utplurimum eſt *polypetalus* ex caliculo Fig. K tenui carnoſo quinquifido, Item & *piſtillo* ſive *tuba*, Fig. L, quae utplurimum longe minor, ſicut ab ipſo *Tournefortio* exhibita eſt, ac ſaepe difficulter ac parum conſpicitur, & poſtea fit *fructus* plerumque *oblongus* ex flavo pallidus: quibus addi poteſt *odor* in citro meliſſae ſimilis, & *ſapor* ab *Aurantii*, qui in hoc amarus aut amaricans eſſe ſolet, *flore & fructu diverſus*. a) Multi etiam a *Limone* diſtinguunt *Aurantium*, ſive potius citrum a Limone *cortice tenuiori*. b) Verum cum haec differentia ſit nullius momenti, & ab aliis Botanicis non attendatur, ſed *floribus*, *fructu & foliis* imo & *viribus* conveniant, & FERRARIVS atque VOLCKAMERVS Limonia multa delineent *cortice craſſiſſimo*, quem alias ſoli citro tribuit TOVRNEFORTIVS. Praeterea VOLCKAMERVS Libro de citriis omnes limones referat ac deſcribat, COMMELINVS contra *capite de Limonibus*, *Citros*, & quos fructus Itali & Belgae *Limonia* appellant, illos Germani aliique *citros*

a) *Salmaſius* Libr. cit. p. 672. *plures adhuc adfert diſtinctionis notas*, e. gr. ſpinas citro multas acutas & robuſtas, quae in Aurantia, (*Sylveſtri excepta*), *plerumque* breves admodum, paucae & tenues; (*imo ſaepius nullae*). *Folia citri* per *ambitum ſerrata*, quae nec ſunt in aurantia; Item magnitudinem huius prae illa; quae tamen notae ob multas varietates ſemper non valent, cum inter has dentur aurantiae cum citris haec ſimilia poſſidentes. b) ut *Tournefortius* aliique.

citros vocitant, atque in pharmacopoliis etiam pro citriis promiſcue ac ſine damno utuntur, quae poma *Limonum* nomine ex Italia aut Hollandia mittuntur, atque COMMELINVS aliique *iis etiam easdem prorſus vires in Medicina & Oeconomia adſcribant ;* praeſtat mea ſententia *differentiam Illam leviſſimam & incertam inter Citrea & Limonia mala potius omittere* ac negligere, quam ſine utilitate nimis ſcrupuloſe diſtinguere, & ſolum in Heſperidum hortis *tantum genus aurantii & citri diuturno iam uſu in Medicina comprobata retinere ;* praeſertim cum ex Limonis genere adhuc plura alia genera ſub nomine *Limae, Limeae, Lumiae, Bergamottae, Pyrettae* effingunt, ut ex FERRARII & VOLCKAMERI Heſperidibus videre eſt, quae nullis certis notis a ſe invicem diſtingui poſſent, atque diſtinctio etiam illa ſine ulla notabili eſſet utilitate.

§. VII.

Antiquiores quidem *Aurantium* una cum Limone ſub uno nomine generico *Medici, Citrei* vel *Heſperidum mali* comprehendiſſe §. 2. diximus; illos tamen, utpote in Botanica Methodica minus exercitatos, ut & de eorum viribus & uſu Medico diverſis, tunc temporis nondum adeo ſollicitos aut expertos, dum antiqui Medici de eorum viribus & uſu Medico nihil commemorant, huius confuſionis adhuc excuſandos eſſe cenſeo: Exercitatiores autem magnam *confuſionis noxam* & ampliorem *diſtinctionis utilitatem* bene perpendentes, memores illius: *Qui bene diſtinguit, bene docet,* non potuerunt, quin uſus cauſſa duo haec genera a ſe invicem diſpeſcerent, quae adhuc ad noſtra usque tempora ab omnibus & maximis Botanicis ac Medicis, poſtquam haec poma melius quam olim apud Graecos & Romanos, a binis quaſi ſeculis, non ſine ratione, nec ſine generis humani commodo, diſtincta agnoſcuntur, & in Medicina hodie frequentiſſime adhibentur.

Mala Medica in Citria & aurantia diſtincta

a Linnaeo autem confuſa ſunt.

Nihilominus tamen novus per ſua ſcripta alias Clarus Botanices Doctor, nomine CAROLVS LINNAEVS, Suecus, veterum confuſione ſaepius ſeſe delectans & novitatum earumque ſaepe inutilium ſedulo ſtudens, duo haec dicta genera rurſus cum priſcis confundere, *ad unum Citri genus reducere & aurantii* hoc tempore adeo notum & uſitatum *nomen e re herbaria, ac* per conſequens *etiam e Medicina*, forte ad natales ſuos, haud ſine Medicinae damno *relegare auſus eſt.* Num vero ſententia haec in acceptis ſit ferenda, vel an potius reiicienda, paucis examinabimus.

§. VIII.

De hac re Linnaei hypotheſis examinatur.

Notas ſeu characteres duorum dictorum generum facile in oculos incidentes §. V. & VI. adduximus, quibus inſtructus quisque illa facile a ſe invicem diſcernere poteſt. Nunc vero inſpiciamus notas, quas LINNAEVS *ſuo citri generi combinato attribuit*, atque examinemus, an hae omni Heſperidum generi rectius conveniant, quam quas recentiores Botanici, *diſtincto Citri & Aurantii generi*, adſcripſerunt. Notas vero proponens, his primo generatim praemittit, *Polyadelphiae*, ad quam praedicta genera refert, characterem eſſe artificialem, & filamenta ſtaminum inferne, ut BOERHAAVIVS iam docuit (§. V.) inter ſe eſſe coalita, in plura ſemper quam duo corpora; floresque eorum *Icoſandriis* annumerat, ſub quibus tales intelligit, *qui viginti ſtaminibus*, ab εἴκοσι, viginti, & ἀνήρ, vir, inſtructi ſunt, *notaeque Citri* ſequenti ratione ab ipſo proponuntur. Nimirum Citri

CALIX: *Perianthium* (*habet*) monophyllum, quinquedentatum, baſi plana, minimum, marceſcens.

COROLLA: *Petala*, quinque, oblonga, plana, patentia.

STAMEN: *Filamenta*, viginti ſaepius, ſubulata, compreſſa, erecta, in orbem vel cylindrum poſita, inter ſe ſaepius in plu-

plura vel pauciora corpora communiter connata: *Antherae* oblongae.

PISTILLVM: *Germen* ſubrotundum; *Stylus* cylindraceus, longitudine ſtaminum; *Stigma* globoſum, interne novemloculare.

PERICARPIVM: *Bacca* a) cortice carnoſo, pulpa veſiculis conſtante, novemlocularis.

SEMINA bina, ſubovata, calloſa.

OBS. Aurantii T. *petiolus cordatus eſt.*
Citrei T. *petiolus nudus & ſimplex eſt.*
Limon. T. *ab hortulanis facie*, facile a praecedentibus, *diſtingui poſſe ait* Tournefortius.

Hactenus LINNAEVS: Sed an hi characteres *Citri* cum characteribus *Aurantii* etiam recte conveniant, cuique prudenti Botanices cultori examinandum trado: mea ſaltem ſententia *genera haec plantarum officinalium cum damno rei Medicae confundit.* Etenim primo *Citro* ſuae, ſub qua & Aurantiam intelligit, tribuit florem *pentapetalum*, qui talis plerumque eſt in aurantia, b) ſed in *citro* ſaepius *polypetalus*, hoc eſt, pluribus quam quinque petalis inſtructus, ſicut eum etiam TOVRNEFORTIVS deſcribit atque BOERHAAVIVS. *Citro* ineſſe contendit *Stylum longitudine ſtaminum*, qui ſic ſe habet in Aurantia, Lit. A; ſed rarius in Citro, ſicut ex fig. L & ipſis floribus videre eſt. *Citrum pulpa gaudere* perhi-

a) Non capio, quam ob cauſſam poma Heſperidum *Baccarum* nomine inſignire eaque ſic in *baccas transformare* velit; cum tamen ab omnibus Botanicis aſſumta differentia inter *baccam* & *pomum* abunde pateat, & Aurantium ad *pomiferas*, pomo maiori, fructu *polypyreno* referatur a *Raio* in Meth. Plant. p. 153. edit. 1703. Sed *Linnaeus* innovationibus delectatur, quae ſaepe confuſiones & noxas inducunt.

b) imo *quandoque flos Aurantii eſt cruciformis* ſeu quatuor tantum petalis donatus, quod in aurantio vulgari, in horto huius Academiae adhuc nuper obſervare licuit.

hibet *novemloculari*, quae octo, ſeptem, ſex vel adhuc pauciora ſaepe loculamenta habet in Aurantia, quemadmodum etiam TOVRNEFORTIVS *octo tantum delineavit*, ut videre licet in Fig. noſtra Lit. G G, H H : ſaepe tamen etiam pluribus ut X. XII. ad XVI. loculamentis conſtant, ſicut & FERRARII & VOLCKAMERI figurae oſtendunt. Ut taceam fructum in *Citro* praeſertim officinali, eſſe oblongum, *ex flavo pallidum* ſive *Citrinum*, qui in *aurantia* officinarum eſt turbinatus, globoſus & *ad inſtar auri*, fulvus (unde rectiſſime etiam *mala* vel *poma aurea* appellantur) ſuccumque in aurantio mitiorem & minus acidum, imo in quibusdam omnino dulcem reperiri. Praeterea LINNAEVS Citro *duo* ſive *bina tantum adſcribit ſemina:* quod quomodo cum ratione facere queat, prorſus non video; cum quaelibet fere muliercula aut ancilla, plurima ſemina in uno Citro adeſſe & reperiri ſciat. Denique adhuc monendum, quod LINNAEVS Citrum & ſimul Aurantium *Icoſandriis* ſuis plantis adſcribat : quae *plantae viginti ſtamina* in quovis flore obtinere debent. Verum cum ex centenis floribus Citri & Aurantii, quos hanc ob cauſſam examinavi, vix unum viginti ſtaminibus ornatum ſed mox 12. 16. 18. interdum vero 23. 25. 28. ſtamina reperii, patet ex his, *quam incertis fundamentis* Syſtema Botanicum LINNAEI, *ſtaminum quam incertiſſimo ac fallaciſſimo numero* potiſſimum *ſuperſtructum, nitatur;* id quod ante paucos menſes Nobiliſſ. D. D. GOECKELIVS, Amicus meus aeſtumatiſſimus, in Diſſertatione, ſub ILL. DN. PRAESIDIS Regimine defenſa pluribus evicit. Quis ergo hic non agnoſcit fructificationis differentias? & quas hallucinationes in notis ſuis hic *Linnaeus* commiſerit? Ergo quia duo haec genera, multis in rebus differunt, atque in Medicina & ſcriptoribus praeſtantiſſimis Medicis, Botanicis & Pharmaceuticis tamdiu iam diſtincta ſunt, atque errores confuſionesque ab *extirpatione generis & nominis Aurantii* neceſſario in Medicina ſequerentur, dum *Citrus non omnes habet vires, quas auran-*

tium

tium, ut mox uberius demonſtrabimus, obtinet, ſeiungenda ſunt & non confuſe combinanda.

§. IX.

Ex deſcriptis differentiis e foro Botanico deſumtis, iam ſane quam luculentiſſime patere poſſet, quantas haec inutilis & noxia dictorum generum in unum Citri combinatio a) rei herbariae & potiſſimum Medicae, ut modo iam diximus, afferat confuſiones, & quam male LINNAEVS *notas ex foliis depromtas*, quando nimirum haec notas manifeſtas facileque obſervandas praebent, in Botanice non admittat, cum tamen *partes* ſint *conſtantiſſimae* & plantis aeque eſſentiales quam aliae, atque a ceteris magnis Botanicis quoque adhibentur; aliis tamen adhuc, ut ſententiam noſtram eo melius ſtabiliamus, utamur argumentis. Concedamus paulisper iuxta definitionem Linnaeanam *haec Citri & Aurantii genera in omnibus* (excepto, quod in aurantio foliorum pedunculi inferius ſint praediti alis, foliolis, ſive *appendiculis duobus cor efformantibus*, quas recentiores potiſſimum pro diſtinctionis notis poſuerunt aurantii, quae non ſint in Citro) *convenire* & ſic coniungi poſſe; tamen *ob diverſos in Medicina effectus & qualitates* etiam non uno nomine generico ſunt inſignienda, ſed diſtincta illa nomina retinenda, quia alias quam plurima inde in re Medica progignerentur mala & errores; cum vero ex conceſſo *non aliae notae characteriſticae, quam folia exiſterent*, ideo ea ob confuſiones evitandas, ſicut hoc in aliis ILL. DN. PRAESIDIS Diſſertationibus Botanicis iam evictum eſſe cenſeo, in uſum vocare neceſſe eſt. Confirmant hanc noſtram ſententiam praeter iam laudatos Cel. PONTEDERA, Botanicus Patavinus, in Diſſertationibus ſuis Botanicis, multis in locis, & ſpeciatim quoque

Genus aurantii ſervandum eſſe oſtenditur.

a) de noxia diverſorum uſitatorum generum combinatione in aliis Botanicis Diſſertationibus hoc anno editis EXC. DN. PRAESES iam egit.

que Doct. RIVINVS in Monop. & Irreg. p. 7. ubi notanter ſcribit: *Plantae, quae flore & fructu conveniunt, idem quidem nomen habere poſſunt, ſed non neceſſario debent*, praeſertim in officinalibus, *ob confuſiones & errores inde metuendos*, ſi diverſis & diutiſſime uſitatis non inſigniuntur. Id quod exemplo *Teucrii, Chamaedryos* & *Scordii*, illuſtrat; EXC. DN. PRAESES vero in Diſſertationibus hanc praegreſſis exemplo *Abſinthii, Abrotani* & *Artemiſiae* oſtendit, quas LINNAEVS quoque cum damno in unum *Artemiſiae* genus & nomen confundi & Abſinthii atque Abrotani nomen extingui voluit.

§. X.

Quia viribus a citro differt.

Ne vero differentia haec qualitatum in dubium vocari poſſit, exempla adducam, quae illam ſufficienter comprobabunt: Legimus paſſim apud autores *corticem* aurantiorum ut ſpecificum remedium contra *febres intermittentes* & *dyſuriam* ſummis mactatum laudibus, atque etiam ipſe hoc, ſicut infra uberius referam, expertus ſum. Sed quam maxime dubitatur, *vires tales ineſſe corticibus* citri, quia exemplis id nondum probatum eſt; neque etiam *eodem ſapore illo amaro*, qui febrifugis pleriſque proprius eſt, gaudet, qualem contra egregium habet aurantiorum cortex. Praeterea hic *cortex* quacunque forma in vehiculo apto aſſumtus, *flatus & dolores colicos*, a cauſſa frigida natos, egregie & quaſi incantamenti inſtar ſaepe diſcutit; ſed quis hoc citrum feciſſe vidit? E contrario *ſuccus Citri in illis, qui a veneratis ſerpentibus morſi, venenum deſtruit* vel expellit, & ante harum morſum aſſumtum, illius vehementiam infringit & mala ab illo alias oriunda avertit: a) ſed quis tales virtutes a ſucco aurantii pomi

a) probatur hoc exemplo, quod legitur apud *Athenaeum* in Dipnoſoph L. 3. Cap. 6; duorum maleficorum anguibus obiectorum, quorum altera, qui citrum non ſumſit, a morſu obiit; alter manſo citro ſoſpes evaſit: ex quo poſtea multi alii idem retulerunt.

pomi unquam vidit vel notavit? quamvis ſuccus acidus eorum forte non prorſus inutilis eſſe queat, licet gradu ſucco Citri ſit inferior. Denique & Citri ſuccum prae aurantii ſucco *magis refrigerare*, melius ingredi terrea, ut lapides cancrorum & conchas, hinc & ad ſericum aliaque mercimonia coloranda aptiorem eſſe tinctores perhibent; ut alia exempla nunc ſilentio praetermittam. Iam vero ponamus Medicum quendam pro *aegroto dyſuria* aut *ſtranguria* laborante, vel *febre intermittente affecto*, praeſertim aliis bonis medicamentis deficientibus vel ſine fructu uſurpatis, *deſiderare cortices aurantiorum*, verum ſecundum Fundamenta Botanica LINNAEI *cortices citriorum praeſcribere*, pharmacopaeus iuxta ordinationem Medici hos etiam praeberet; qui vero debitum vel deſideratum effectum non praeſtarent; hinc morbus ſenſim ingraveſceret, & aeger vel periret, vel in hydropem aliosve graviores morbos incideret. Quis Medicum & aegrotum his contentos fore putabit? & an non ille pro cauſſa mortis aegri eſſet habendus, *qui loco corticum aurantiorum hic efficaciſſimorum*, ex animi quadam pertinatia ad ſervandam *Linnaei* hypotheſin *cortices citri*, *hic inertes*, *praeſcripſiſſet?* Par ratio eſt cum floribus Citri & Aurantiorum. Ex horum enim, utpote fragrantiſſimorum, aqua praeſtantiſſima & ſuaviſſima, Italis Nampha vel etiam Angelica, nobis Naphae dicta, deſtillatur, & varios ad uſus, praeſertim cardiacum, ad facilitandum partum & purgandum uterum a variis magnopere commendatur; cum tamen nullibi ex Citri floribus tam efficacem aquam parari poſſe reperio. Contra, *ſi Medicus pro vexato a morſu ſerpentum ad virus expellendum* vel illius vehementiam infringendam, ordinaret ſuccum Citri, qui hiſce in caſibus a multis, ut antea iam dixi, vehementer laudatur, iam Pharmacopoeus Linnaeanus, *cui ſuccus aurantii idem eſt ac citri*, *daret ſuccum* aurantii & forte quidem *dulcis* ſive *chinenſis*, aut *medii ſaporis*, quas omnes LINNAEVS pro una ſpecie habet & habendas eſſe

docet. an quis putet hoc ſucco aegrum a veneno & periculo mortis liberari? meo ſaltem iudicio *aeger levamen, a ſucco citri alias obſervatum, a ſucco hoc aurantii haud, aut* vix ſentiet. Experimentum periculoſum!

§. XI.

Solvuntur obiectiones. Reſpondebit forte ſua defenſurus LINNAEVS vel eius aſſecla, *Medicum in formula debere addere nomen ſuum ſpecificum, citro* vel aurantio aliorum conveniens, & in horto Cliffort. allatum; nimirum *cortic. citri petiolis alatis.* Sed quis Medicus & Pharmacopoeus prolixa illa nomina ſpecifica *Linnaei*, omni licet ſtudio comprehenſa, memoria retinere poterit aut volet, ubi *unico aurantiae vocabulo*, cuivis fere puero noto, res expediri poteſt? aut cui Pharmacopoeo ad manus eſt hortus Cliffort., ut ex eo, quid novis inuſitatis & amplis illis nominibus, dum brevibus aſſeutus eſt, velit Medicus, inde videre poſſit? Nomina medica in formulis debent eſſe, quantum fieri poteſt, ſimplicia & brevia: & certe pharmacopoei nunquam Medico, tam inuſitata ratione praeſcribenti, ſeſe accommodabunt; *quid enim fieri poteſt paucis, cur fiat per plura?* aut ut Linnaeus ait Crit. Bot. p. 21. *Stultum eſt agere per plura, id, quod poteſt aeque fieri per pauciora.* Denique Medicus Linnaeanus ſcripta aliorum Medicorum, *ob nominum receptorum*, ad quae & aurantii pertinet, *ignorantiam* haud intelliget, adeoque, etiam ex illis multa comprehendere non poterit, quae illi poſſunt, qui nomina conſueta diſcunt & retinent. *Nonne igitur antiqua naturalis & realis illa differentia inter aurantium & citreum* atque praecipuarum harum ſpecierum bene retinetur ac retineri debet? Exempla haec, ut alia, quorum quamplurima ſunt, nunc taceam, quam maniſeſtiſſime demonſtrant, *ſoli fructificationi ſuperſtrui nec poſſe nec debere*, ſed certis in caſibus *folia etiam, odorem & ſaporem* aliaque ad conſervanda genera officinalia recepta, & conſtituenda quandoque nova, & magis adhuc *ad ſervandas ſpe-*

cies

cies hactenus receptas, ſine noxa & erroribus in Medicina omitti non poſſe, ſed utiliter imo neceſſario, id quod EXC. DN. PRAESES in Diſſertatione de *Foliorum utilitate*, Itemque in duabus ultimis de *Methodo Linnaeana & Nominum Plantarum Mutatione* &c. haud pridem habitis pro more ſuo praeclare oſtendit atque evicit, etiam debere conſiderari.

§. XII.

Quot diverſae huius generis hodie inveniantur *Species*, non ignotum erit illis, qui diverſos Heſperidum hortos vel vidit, vel eos deſcriptos legit. *Mirandum ſane eſt tot hodie annotari ſpecies & varietates*, cum apud priſcos vel nullas vel perpaucas in ſcriptis nobis relictis reperiamus: imo *in horto Eyſtettenſi*, ubi alias in aliis generibus plantae omnes, ſpecies & varietates, quas nutrivit, recenſentur, & aeri inciſae repraeſentantur, tamen *non niſi unica ſpecies Citri aut Limonis vulgatiſſimae & duas Aurantiae, vulgaris* ſcilicet & *nanae* ſive *pumilionis*, recenſetur atque exhibetur; totidemque tantum ante centum annos in Hollandia & Norimbergae fuiſſe referunt COMMELINVS & VOLCKAMERVS libris ſaepe citatis: Ita ut vero non omnino contrariari videatur, ſi quis ſentiret, ab inſitione diverſimode variata nonnullas varietates eſſe productas. Interea tamen etiam certum eſt, *per navigationes diverſas etiam diſtinctas ſpecies, quae inſitioni abſcribi non poſſunt*, atque nimis ab antiqua differunt, in Europam allatas eſſe, quarum praecipuas ab aliis deſcriptas & hucusque notas, hic recenſere quidem EX FERRARIO, COMMELINO, TOVRNEFORTIO, VOLCKAMERO, BOERHAAVIO, CLARICO aliisque facile poſſem: verum ne nimis prolixa fiat mea diſſertatio, praecipuas tantum hic indicabo, & qui plures ſcire deſiderat, evolvat laudatos autores, quorum quidam ſexaginta circiter, ultimus vero adhuc plures numerant; ſic & *hortus Carlsruhanus*, Ser. Margravii Badeno-Durlacenſis, qui ultra decem millia arborum Heſperidum fructiferarum continet,

Aurantiorum Species.

net, aurantiorum ſpecies, uti ex catalago manu exarato ab EXC. DN. PRAESIDE mecum communicato vidi, ultra ſeptuaginta ſuſtinet. Commemorabimus itaque hic tantum 1) Aurantium vulgare, *ſapore acri* Ferr. Heſp. 377. 2) Idem *ſapore dulci*, ibid. 3) idem *ſapore medio*, ibid. 4) Aurantium *folio criſpo* ib. 389. 5) Aurantium *flore duplici* ib. 391. 6) Aurantium *ſtellatum* ib. 395. 7) Aurantium *roſeum* ib. 8) Aurantium *virgatum* ib. 399. 9) Aurantium *foetiferum* ib. 401. *Commel.* p. 16. N. 2. *Volck.* Heſp. Cont. p. 200. a) 10) Aurantium *Corniculatum* ſeu *Hermaphroditum* Ferr. Heſp. 407. 409. 11) Aurantium *Diſtortum* ib. 415. 12) Aurantium *Citratum* ib. 423. 13) Aurantium *Vlyſſiponenſe*, non nullis *Sinenſe* ib. 427. 14) Aurantium *Sinenſe* ib. 430. 433. quod tamen melius vocandum eſſe praecipit vel *Indicum* vel *Goanum*, quia poma huius Luſitani ex India & ſpeciatim *Goa* afferre ſolent. 15) Aurantia *nana* dicta H. Eyſt. & *Volck.* Cont. Heſp. 206. 16) eadem *dulcis Volck.* ib. 17) Aurantia *nanina folio & fructu variegato Volck.* Cont. Heſp. 204. 18) Aurantium *cortice dulci* alias pomum Adami Ferr. Heſp. 430. 19) Aurantium *maximum*, a Mario Schapiano *Hipponeranzion* dictum ib. 437 ad 439. 20) Aurantium *folio anguſtiſſimo* lanceolato Tourn. 666. 21) Aurantium *folio criſpo variegato* Boerh. Ind. alt. P. II. p. 239. 22) Aurantium *folio maximo odoratiſſimo* longiſſimoque Lauri Americanae ibid. 23) Aurantium *fructu maximo Indiae Orientalis* ib. 240. 24) Aurantia Indica, *fructu* omnium maximo, Pumpelmoes dicto, *medulla ruffeſcente* Herm. H. L. B. pumpelmoes Volck. Heſp. 182. b) 25) Aurantium *fru-*

a) *Commel.* & *Volck.* aurantiam feminam ſeu foetiferam monſtris accenſent, cum tamen talis fructus ex arbore cum flore duplici fere naſcatur. b) putat *Volckamerus* hoc eſſe aurantium Indicum maximum Ferrar. 439. ſed pace Viri hac in re egregie meriti, exiſtimo hoc aurantium ab aurantio Ferr. multum differre, ut ex figuris & deſcriptionibus utriusque, ni fallor, luculenter patet. Vbi adhuc notamus, quod, quoties, Volck. Heſper. citantur, editio Germanicae edita intelligatur.

fructu maximo Indiae occident. Boerh. 240 & Volck. Cont. Heſp. p. 172. quae ex inſula Curaſſao ſive *Curaſſau* afferri potiſſimum ſolet, & *cuius cortices & ſuccus aliis huius generis omnibus praeſtantia ſua antecellunt.* 26) Aurantium *anguſto, ſalicis folio, dictum* Boerh. l. c. 240. 27) Aurantium, Chamerambacum, *ſpinis longis robuſtis* Pet. Act. Phil. Lond. N. 271. p. 847. a) 28) Aurantium *Zeylanicum*, foliis longis anguſtis *appendicula longiſſima donatis*, Breyn. Faſc. b) 29) Aurantium *folio & fructu variegato* Volck. Cont. Heſp. 193. 30) Aurantium *flore & foliis rubicundis* ib. 198.

§. XIII.

Ratione ſpecierum hic notare volo, quod LINNAEVS, *non niſi duas ſpecies* malorum Heſperidum agnoſcere velit, alteram *petiolis foliorum linearibus* ſive non alatis, quo nomine id, quod nos cum aliis *Citrum* aut *Limonem* vocamus, intelligit; c) alteram, *Citrum petiolis alatis* appellat, quo nomine totum *Aurantiae* genus, ſive quod nos *Aurantii* nomine intelligimus, comprehendit: Imo adhuc dubitat, *an non aurantia tantum citri ſit varietas, & ſic ne ſpecie quidem diſtinctae ſint omnes & citri & aurantii a multis deſcriptae ſpecies*, ſed eas tantum a culturae & coeli diverſitate productas eſſe putat. De quibusdam quidem hoc negare prorſus nollem, cum ſaepius obſervetur, *plantas ſuas habere aut producere varietates*, & modo *foliis* eſſe unius coloris, modo variegatis, modo paullo maioribus, modo minoribus, modo paullo amplioribus, modo anguſtioribus, atque ſic etiam *fructus*, ceterum ſimiles, in multis ſaepe eſſe paullo maiores, in aliis paullo minores, magisque vel minus coloratos, pro coeli & tempeſtatis varietate; quaedam etiam *in pyris & pomis* eiusdem generis, imo eiusdem arboris, aliis magis vel rotunda vel

Linnaeus duas tantum malorum Heſperidum ſpecies, ſed male, agnoſcit.

D 3 ob-

a) Vid. RAII *Suppl. Plant. Hiſt.* Libr. XXIV. pag. 80. b) ibid.
c) Vid. Hort. Cliffort. p. 379.

oblonga fieri &c. Sed cum citri & aurantiae *figura foliorum & fructuum imo & hi magnitudine*, *odore*, *ſapore & colore tantopere a ſe invicem differant*, ex. gr. *Aurantia nana* Horti Eyſtettenſis & *Pompelmoes* ſive aurantium maximum orientale & occidentale, aliaque, ut iis, qui has arbores & fructus colunt, notiſſimum eſt, inſuper *tam diverſo odore & ſapore*, non modo ſucci ſive carnis, ſed & corticis gaudeant, atque una harum non facile in alteram tranſeat, id quod in varietatibus, v. gr. *tuliparum*, frequens eſt, dum forte *ex pumilione nunquam fiet* ille gigas, *Pompelmoes* aliaeve huic affines, & vice verſa; difficile erit LINNAEO, ut ſententiam hanc ſuam probet de omnibus illis, quae a Botanicis celebrioribus pro diverſis ſpeciebus harum arborum deſcriptae & habitae ſunt: praeſertim dum hic, quando, *quid ſpecies ſint*, definire vult, in Fund. Botan. 157. ſcribit: *Tot diverſas plantarum ſpecies numerari*, *quot diverſae formae in principio ſunt creatae.* Sed quo modo evincet, *Deum unicam tantum citri vel aurantii ſpeciem creaſſe*, & non plures, cum potius cum ratione melius mihi convenire videatur, *Deum*, quando terram & plantas condidit, *elegantiſſimas & optimas etiam ſpecies ſimul creaſſe*, ut ſic eo ipſo ſuam potentiam primis hominibus tanto melius oſtenderet, atque ad cognitionem, amorem & cultum ipſius incitaret. Confirmatur id imprimis, quod Rever. P. Georg. Ioſ. CAMELLVS S. I. in Syllabo herbarum & ſtirpium in Inſula Lazone Philippinarum naſcentium ad Io. RAIVM transmiſſo, adiecto RAII ſupplem. Plant. p. 57. & ſequentibus aurantiorum ultra 26 ſpecies fructuum magnitudine, ſapore & colore quam maxime differentes, in *dicta Inſula ſponte provenientes*, & a barbaris ibidem diverſimode nominatas recenſeat, cum barbaras haſce gentes, quemadmodum aliarum rerum nullam habeant curam, ſic culturae aurantiorum per inſitionem, eodem modo ut aethiopes, nullam navare operam ſit veriſimile, ſed iisdem tantum utuntur fructibus, quos tellus ipſarum ſponte producit, eadem ratione, ut *ru-*

ſtici

ſtici noſtri de cura & emendatione quercuum haud ſunt ſolliciti, verum, ſic ut ſponte creſcunt, eas relinquunt.

§. XIV.

Magis itaque mihi placet illas *plantas* in univerſum, *quae notabili ratione, in foliis, floribus & fructibus, itemque in magnitudine* & amplitudine, ut & *in figura, colore, odore, ſapore* &c. notabiliter differunt, eamque *differentiam conſtanter ſervant*, neque ex unius fructus ſeminibus proveniunt, *pro diverſis ſpeciebus haberi.* Contra, *varietates plantarum dicendas eſſe exiſtimo*, quando ex *unius fructus ſeminibus*, ut ex ſeminibus *tulipae, hyacinthi, primulae* vel *auriculae, caryophylli* ſive *tunicae* & ſimilium *flores colore* aut *ſimplicitate* vel petalis pluribus differentes ab eo, a quo deſumpta ſunt ſemina, proveniunt, vel etiam folia vel unico colore vel duplici aut triplici variegata. *Quae magnitudine tantum differunt partium*, quam inſignis etiam illa ſit, LINNAEVS quidem *non pro diverſis ſpeciebus*, ſed tantum pro varietatibus haberi vult, quod quidem concedo, *quando haec diverſitas non eſt valde inſignis.* Largior etiam, quod *difficile ſit certos magnitudinis limites ponere* ſive ſtatuere; interea tamen magnitudinis interdum adeo inſignis eſt diverſitas, ut in *aurantia pumilione* ſive nana & *aurantia maxima*, Pompelmus dicta, cum orientali, tum occidentali, tam ratione ſtemmatis quam foliorum & fructuum, & praeſertim quia una harum vix unquam in alteram transmutabitur, id quod variationibus vulgo ſic dictis alias ſolenne eſt, ut nemo fere hactenus fuerit, praeter LINNAEVM, qui has & ſimiles plantas vel arbores tam inſigniter differentes, non pro diverſis ſpeciebus, valde inter ſe differentibus, non habuerit & agnoverit. *Quaenam diverſae ſpecies aut varietates dicendae.*

§. XV.

Porro *ratione ſpecierum* adhuc notamus, dum LINNAEVS *Specie-*

rum nimia imminutio noxia eſt.

ſpecie Plantarum in univerſum & nominatim etiam *in citro* atque *aurantia adeo anguſtis cancellis coercere* vult, *ut non niſi unicam Citri & unicam tantum Aurantiae ſpeciem admittendam eſſe* cenſeat, dum alii multas & quidem, me iudice, haud ſine ratione & recte ſtatuant, ſequetur ex hypotheſi LINNAEI *intec aurantium dulce, aurantium acidum & amarum non eſſe differentiam ſpecificam :* hinc ſi Medicus aut pharmacopoeus, LINNAEVM ſequens, aurantio indigebit, perinde ipſi erit, quia differentiam neque ſtatuit neque admittit, quodnam ipſi ex tot ſpeciebus aut varietatibus ab aliis agnitis in manus primo incidat, *ſive dulce ſit*, *ſive amarum*, ſive *acidum*, *ſive medii ſaporis*. Qualia vero *damna ex hac ſpecierum in unam confuſione* in aegros & Medicinam redundabunt, quilibet prudens Medicus, qui, quid ſapores in medicamentis ad eorum vires diiudicandas valeant, novit, facile perſpiciet: dum profecto dulcia aut inſipida illum effectum, quem *amara in febribus*, *colicis doloribus*, *ventriculi* & aliis morbis frigidis exerunt, non praeſtabunt. *Idem iudicandum erit de citri ſpeciebus diverſis*, quas omnes quoque promiſcue reiicit. Monuit iam EXC. DN. PRAESES hoc quoque circa *abſinthium amarum & inſipidum* a), idemque adhuc de quamplurimis aliis ſpeciebus, quas inepte confundit, oſtendi, atque ſimul cognoſci poterit, quam *noxia ſit* in Medicina *ſpecierum nimia* in plantis, praeſertim officinalibus, quae exploratae ſunt virtutis, *imminutio*, atque huic malae hypotheſi ſuperſtructa *ſpecierum inertium cum efficacibus confuſio ac praepoſtera ſeu noxia permutatio*. Quid fiet, *ſi differentiam* ſpecificam inter ſpecies ſuas citri, id eſt, inter *citreum* & *aurantium* ipſum *prorſus tolleret*, ſicut haud prorſus alienus eſt ab hac ſententia in horto Cliffort. p. 379, ut ſupra pag.

a) In Diſſertat. De *Nominum plantar. mutat. utili* &c. a Nobiliſſ. *Dn. D. Sandhagen*, Amico meo honorando, paucis ante ſeptimanis hic defenſa.

pag. 27. iam indicavi, atque *tunc citreum & aurantium pro una ſpecie haberentur*, atque in curandis morbis promiſcue adhiberentur? profecto quamplurima damna his ipſis Medicinae, in detrimentum quamplurium aegrorum inducerentur, dum non nulli pharmacopoei iam per ſe ſatis proclives ſunt, ut unum pro altero, quod forte prae manibus vel levioris pretii eſt, ſubſtituant; eo ipſo autem aegris ſaepe damnum inferant: id quod iam multi praeſtantiſſimi ac pii Medici quam ſeveriſſime deteſtati ſunt. Quid fieret, ſi a LINNAEO diſcerent aurantiorum & citreorum ſpecies a ſe invicem non differre, ſed unam eandemque ſpeciem eſſe? Sed de his nunc ſatis. Pergo ad *Culturam*.

§. XVI.

Cultura aurantiorum inuniverſum.

Expoſitis etymologia, definitione, differentiis, ſpeciebus atque varietatibus, aurantiae *culturam* paucis iam quoque exponere decrevi. Quibus ergo hac in regione arbores & fructus hos acquirere in votis eſt, quatuor potiſſimum rationibus, *ſatione* ſcil. *ſeminum*, gemmarum *inoculatione*, *ſurculorum ablactatione*, & denique *adportatione ex aliis locis* eas adipiſci poterunt. Modos in aliis regionibus, ſubclimate diverſo poſitis, conſuetos, qui ſub noſtro coelo adhibiti ſuccedere nolunt, & communiores, ab aliis quocunque modo laudatos, praetereundo, recenſebo tantum hos, quibus multi recentiores Heſperthuſae cultores optimo cum ſucceſſu uti aſſolent: his vero cautelas a multis partim neglectas, partim non omnibus cognitas, adiicere ſtudebo.

§. XVII.

Aurantia acquirendi modus primus.

Primis autem modus, *qui eſt ſatio ſeminum*, *optime fit ſequenti ratione:* Praeparetur menſe Martio, in loco quodam calido & ſoli bene expoſito, *tepidarium* ex fimo equino recenti (vulgo ein Miſtbett) ſuperimponendo *terram ex arena craſſiori* pura, ſtercore vaccino vel equino, putrefactione

prorſus comminuto & poſtea exarefacto; vel foliis fagineis aliarumve arborum putredine deſtructis; vel ligno putrido eadem ratione penitus corrupto, probe mixta, ad pedis circiter altitudinem, quod ita praeparatum per aliquot dies relinquatur, donec incaleſcat; tunc *ſemina malorum aurantiorum* bene maturorum telluri huic inſerantur, ita, ut dimidio pede circiter a ſe invicem diſtent: a) hoc facto tepidarium feneſtris cooperiatur, terra autem in hoc detenta ſucceſſu temporis *pro ratione caloris diverſi* poſt ſingulum quartum vel quintum diem, *aqua parum tepida conſpergatur*, (cavendo ne modum in hoc excedas, quia alias vel ſemina vel radices tenuiores putreſcunt) ſic quatuordecim dierum vel trium hebdomadum circiter ſpatio plantulae proſilient; quas, ſi digiti altitudinem acquiſierunt, e ſuo natali depromptas & in vaſa parva fictilia, ſimili humo repleta, radicum extremis prius caute parum reſectis, poſitas, rurſus in tepidarium novum, eodem modo praeparatum, transferto, ubi, non neglecta conveniente irrigatione, itemque cura habita, ne calor nimius teneras plantulas exſiccet, (quod praecavetur vel, ſole calidiore, aperiendo pro rei neceſſitate unam alteramve feneſtram, vel tegendo omnes apto quodam tegumento) intra anni unius ſpatium ſic excreſcent, ut altero anno inoculari, & tertio interdum vel quandoque 4to anno iam fructus proferre queant. Si methodo vulgo conſueta, extra tepidaria, ſeminationis cura geratur, arbores vix quinque imo ſex annorum ſpatio ad tantam pervenient proceritatem, ut ad inoculationem aptae evadant.

§. XVIII.

Milleri modus.

Philippus MILLERVS, Anglus, in cultura plantarum exer-

a) *Ferrarius* aſſeverat, *mala tota terrae committi poſſe* & ſic omne ſeminum granum plantam proferre; Sed mihi videtur plantas ſibi invicem nimis ſic vicinas & intricatas impediri, ne commode excreſcere & a ſe invicem ſeparari queant.

exercitatiſſimus, in *Lexico ſuo botanico*, a) titulo Aurantii docet, ut ſemina citreorum bene maturorum, vel quae adhuc his praeſtarent, putridorum, primo vere fictilibus idonea terra p.32.repletis immittere,eaque poſtea tepidario *e corticibus,quibus coriarii, ad corium parandum, uſi ſint, imponere*, eaque poſtea eadem ratione tractare iubet; quae tepidaria hoc in libro variis in locis, variisque pro ſeminibus & plantis provehendis, multum eis praeſtare oſtendit, quae ex fimo caballino parantur, talibusque etiam EXC. DN. PRAESES tam in horto Academico, quam ſuo domeſtico uti ſolet. Arbuſculae illae, quae ex citri ſeminibus producuntur, non ſolum celerius & rectius creſcunt, quam quae ex aurantiorum ſeminibus, verum etiam *gemmas omnium malorum heſperidum ſpecierum facilius excipiunt*, quam eae, quae ex aurantiis productae ſunt.

§. XVIIII.

Secundo acquiritur *inoculatione* ſive *inſitione*: quae quomodo inſtituatur, unicuique hortulano vel arborum culturae amatori ignotum non eſt, atque facilius oſtenditur in ipſis arbuſculis, quam verbis deſcribitur: hinc ad prolixitatem vitandam, hanc ab illis ſibi demonſtrari petant; pauca tantum circa hanc dabo monita. *Agitur ſcilicet haec optime apud nos menſibus Iulio & Auguſto*; atque oculus ſive gemma inferiori arboris parti, cortice prius inciſo, inſeritur, quae primo non adeo arcte liganda, ne ſuffocetur; poſt quatuor autem hebdomades ligatura innovanda, atque arctius paullo conſtringenda. Locus *arboribus recens inoculatis non nimis a ſole fervidiori ſit illuſtratus*, ne gemma exarescat, ſed paullulum *tenebricoſus ſive umbroſior*, ipſis tam diu eſt concedendus, donec gemmas bene adnatas eſſe videamus; ſic poſtea ſenſim in locum calidiorem & tandem autumno in aptum hybernaculum transferendae ſunt, ita proximo vere & aeſta-

Alter modus, inſitio.

E 2 te,

a) prodiit hoc Londini 1731. in folio.

te, ſi in locum bene calidum & inprimis aptum tepidarium reponuntur, egregie progerminabunt.

§. XX.

Tertius modus. *Tertia* methodus aurantias melioris notae comparandi eſt ita dicta *ablactatio:* circa quam obſervandum, ut fiat ſub finem Maii, vel Iunii principium: ſpeciem quoque, quam per ablactationem deſideramus, fructibus iam gaviſam fuiſſe neceſſe eſt; quia alias recens ablactata nimis tarde fructus proferet. Perficitur autem ſequenti modo: arbuſcula in quam ablactatio fiet, ponatur apta altitudine iuxta arborem, de qua ramulus ſumetur, illa arbuſcula, cultro ramis privata, ſuperius in medio ad 3. vel 4 digitor altitudinem findatur; tum exploretur, quomodo ſurculus trunco optime ſit inſerendus, ſic ille, cortice ſuo ad medullam usque, ea tamen illaeſa, orbatus, in fiſſuram trunci immittatur, ut ſurculi cortex fiſſuram claudat: poſtea ligetur & cera arborea obducatur; ſic ſurculus ablactatus tam diu in ſitu illo cum arbore relinquatur, donec ſurculus creſcere incipiat: hoc facto provide a ſua arbore abſcindatur, & arbor ad alium locum transferatur.

Quartus modus. Qui autem aurantias minori labore ac citius conquirere expetit, is *quarto* eas adipisci poterit, *ſi aliunde illas ſibi adportari curet.* Allatarum autem, priusquam vaſis imponantur, radices in aquam tepidam pluviatilem vel fluviatilem, ſtercore vaccino nuptam, per diem & noctem mittantur, tum in vaſa terrea, quae praeferuntur ligneis, ſatis, attamen non nimis ampla, humoque convenienti (§. XVII.) repleta, locantur, ſed ita ut radices vaſorum parietes non attingant. Denique notandum citrias & limonias etiam per folia & ſurculos reſectos, terraeque commiſſos, tanquam *quintum* modum propagari & multiplicari poſſe; a) ſed mirum eſt, *aurantias ſolas* (una tantum ex illis, ſcilicet, quae nomen habet a citro, *aurantium* inde *citratum* dictum, ex-

a) de hoc modo optime egit *Volckam.* in Heſper. contin. fol. 30.

excepta) ex heſperidum arboribus *foliis & ſurculis vix vel ſaltem aegerrime propagari poſſe*, cuius cauſa denſitas & durities ligni harum orum eſſe FERRARIO, VOLKAMERO & CLARICO videtur.

§. XXI.

Ad *conſervationem* recuperatarum arborum plura adhuc obſervanda requiruntur, quae a quam pluribus hesperidum cultoribus ſaepiſſime negliguntur aut omnino quandoque ignorantur, quae idcirco, quia haud minor laus *eſt parta tueri*, quam nova bona acquirere, ſigillatim paucis proponenda eſſe duco. Acquiſitae igitur aurantiarum arbores *aeſtate usque ad finem ſeptembris* liberiori aeri, ubi radios ſolares ſemper valent excipere, & boreas illas attingere nequit, expoſitae maneant, diebus interim aeſtatis calidioribus omni fere die, tempore veſpertino, ſenſim & ſatis largiter, ſole vero non adeo calente, alternis diebus aqua pluviali tepida vel fluente, ſtercor ovino vel bubulo quodammodo imbuta, irrigandae: tempeſtate vero humida tardius hoc fiat, prout nimirum terra magis vel minus, citius aut tardius ſicca, ad quod probe attendendum, deprehenditur. *Conſervatio harum arborum 1. aeſtate.*

§. XXII.

Accedente autumno propter aeris inclementiam mature *transportandae* in ita dicta hybernacula, ibique apto ordine paullulumque a ſe invicem remotae, ne ramos inter ſe committant, collocandae. Si haec transportatio ſerius fiat, atque forte pruinas fortiores aut frigus intenſius hoc ipſo ſentiunt, fructus delabuntur. Si in nimiam aeſtate molem excreverint, ut radices vaſa nimis repleant, hoc tempore a) in alia paullo maiora transferendae erunt, ubi caute ſemper procedendum, ne translocando arborum cortices aut radices nimis lae- *2. autumno.*

a) Sunt plerique hortulani, qui hanc transplantationem vere fieri volunt; ſed *Volckamer.* in Heſp. ſuis p. 37. pluribus evicit, hoc rectius autumno fieri.

laedantur. In principio autumni, & quamdiu tunc aer temperatus favet, domus iſtae hyemali conſervationi deſtinatae, feneſtras ianuasque habeant apertas, donec vel frigus vel venti inclementiores incidunt, ubi *ſenſim* & *quidem primo, tantum nocte claudendae erunt;* diebus autem ſerenis & non ita frigidis, ad vapores forte corruptos emittendos, aeremque recentem ac liberum admittendum, rurſus aperiendae.

§. XXIII.

3. Hyeme. Frigore autem tandem vehementiore atque ſic *hyeme* accedente, ut aquam in hybernaculo ad feneſtras vel in vaſe quodam repoſitam cogat, ſive in glaciem convertere incipiat, leviter & ita tantum calefaciendum, ne frigus aquam illam vel terram arbores ambientem congelaſcere faciat, *ſerioque cavendum, ne unquam calorem nimium* praeſertim una vice concitemus, quia hic iis ſaepe plus nocet, quam frigus paullo intenſius. Interim tamen quandoque parca, ubi terra earum eſt multum exſiccata, (id quod ſtudioſe non ſolum in parte ſuperiore vaſis, ſed & inferiore *terebra peculiari* eſt explorandum, vel etiam ex aliquali flacceſcentia foliorum cognoſcitur) irrigatio eſt neceſſaria; *nimiā vero nunquam utilis:* dum non ſolum fructuum & foliorum lapſum poſt ſe trahit, ſed arbores ſaepe ipſas, radices vel corticem trunci inferioris putrefaciendo, prorſus corrumpit. Praeterea etiam *in ipſa hyeme, quando dies clari & temperatiores incidunt, feneſtrae quaedam,* imo etiam ianuae pro tempeſtatis blandioris ratione, *circa meridiem per aliquot horas aperiendae,* circa veſperam vero & noctu rurſus claudendae: quo fit, ut aer non ſolum intus ſubinde renovetur, & vapores corrupti diſſipentur; verum etiam *ne arbores nimis reddantur molles,* ſed in aeris conſuetudine perſeverent, id quod ipſis egregie conducit. Februario *ſtercorationem* ſeu potius terram recentem pinguem, remota prius terra vaſorum ſuperiori, quaſi macilenta & exſucca, expoſcunt, quae fit mixtione vulgaris ſed

pu-

purae terrae cum *trienni* caballino vel vaccino ſtercore, vel mixtura humi ruralis cum ligno & cumprimis ramulis arborum tenerioribus ſecuri conciſis ac putridis, aut foliis aurantiae aliarumve arborum delapſis & corruptis.

§. XXIV.

Ingruente vere, arboribus hiſce tempeſtate ſerena aer ſaepius *per aliquot feneſtras*, verum non una vice per omnes, admittatur, (quia omnis ſubitanea mutatio periculoſa, atque hoc fructuum lapſum inducere a quamplurimis obſervatum eſt,) ſed ſenſim conſueſcendus. Si ſuperius hae arbores ramulos nimis magnos emiſerunt, oculos quidem grate oblectantur, verum fructus parciſſime progignere ſolent ; ideo excedentes ac ſuperflui & praeſertim etiam per hyemem a cauſa quacunque laeſi, exſiccati atque corrupti ramuli cultro idoneo reſecandi, extremitatesque putatorum cera arborea vel pigmento ex oleo lini & bolo aliave ſimili terra praeparato, ne humor alimentitius hic diſſipetur, vel & ne forte aereus vel pluvialis iſtis noceat, obducendae. *4 quid vere obſervandum.*

Vere autem ad exitum declinante, licet plerumque flores copioſiſſimi protrudi ſoleant, & poſſeſſores ſpe alantur, fructus magna adipiſcendi copia; tamen quam ſaepiſſime, niſi malo in tempore occurratur, falluntur, fructusque adhuc exigui rurſus ſolent decidere, ut poſtea vel perpaucos, vel plane nullos acquirant. Ad hoc praecavendum *flores primos relinquendos*, ſuperfluos autem ſubſequentes & *tardius provenientes removendos eſſe*, plerique, qui de cultura ſcripſerunt, ſunt autores; VOLCAMERVS autem *nullos auferendos ſuadet*, aſſeveratque, *poma ſupervacanea*, quae arbor nutrire nequit, *ſponte decidere*. Mea tamen ſententia praeſtare iudico, flores abundantes decerpere, ſic & illis ad varia inde praeparanda adhuc uti valemus, & ſuccus, quem pomula alias ſupervacanea abſorbent, ad reſtantes fructus abit, qui hoc ipſo eo melius incrementum & maturitatem aſſequi poſſunt. Sic non omnino diſplicet, quae eodem fundamen-

„mento ſuffulta IOH. BAVHINVS a) proponit: ut cavea-
„tur, ne flores ferant inanes, praecidendi rami ſuperflui, ca-
„vendumque, ne ultra modum excreſcant; Ita copioſos e-
„dent & foecundos. Digitis potiſſimum ramulorum multi-
„tudinem decerpes potiſſimum vere & interlunio, idque
„ordine quodam, quo apparent; ipſas etiam gemmas àbun-
„dantiores demas.„ Flores inutiles atque in fructus non mu-
tandos, *totos ſponte cadere* ſaepius obſervavi; cauſam huius
rei inquirenti, *flores piſtillis orbatos fuiſſe videre licuit.*

§. XXV.

Conſervatio fructuum. Qui hac ratione aurantias diligenter colet, fructus quot annis non exigua quantitate ſibi comparare poterit. Cui *poma conſervare volupe* eſt, is ea ab arbore depromat, antequam maturitatem perfectam, ſi ſcilicet flavescere incipiunt, aſſecuta ſint; qui vero matura & teneriora amplectitur, eaque mox conſumere conſtituit, is maturitatem iuſtam, quam color perfecte aureus docet, expectet; *ſi autem ea quis diutius in arbore relinquet*, is poſtea *ſuccum* maxima ex parte *conſumtum* ſive fructus exſuccos & inutiles reperiet. Cum autem poma omni tempore decerpere non liceat nec datur, quamplurimi tamen ſunt, qui ea ſemper recentia deſiderant, *methodos quasdam ea aſſervandi* proponam. Quidam fructus non adeo maturos charta involvunt & in loco temperato reponunt; TANARA autem, referente *Ferrario* in Heſp. ſuis, ſuadet, fructus hos ſine maculis & non omnino maturos *arenae purae & ſiccae*, *vel farinae vel milii acervis vel ſtraminibus* minutim conciſis & bene aridis *ita immittere*, ne unus alterum tangat, ſic in cella ſicca repoſiti longo tempore a corruptione immunes manebunt. Si tamen a diuturnitate temporis tandem corrumpi incipiunt, cortices ſunt detrahendi & ſiccandi, qui ſic per longum tempus ad uſus varios aſſervari poſſunt.

CA-

a) in Hiſtor. Plant. Libr. Imo. p. 101.

CAPVT II.

EXPLICANS

TEMPERIEM ET VIRTVTES AVRANTIORVM MEDICAS.

§. I.

EXpoſitis hactenus Aurantiorum Hiſtoria naturali & cognitione habituque externo, nunc in *virtutes eorum Medicas*, cum in univerſum, tum ſpeciatim, curatius inveſtigabo. Cumprimis autem conveniens erit *in partium eorum Temperamentum*, dum omnes non iisdem qualitatibus ſunt inſtructae, inquirere. Praemonendum tamen adhuc eſt, me hic *de aurantiis vulgaribus* & in pharmacia hodie uſitatis, ſemper agere & loqui, niſi ſpecialius differentiae nomen adiiciam. Cum autem primo & omnium maxime, licet necdum viſo aurantio, ſentiatur eius *odor*, tam in floribus, quando florent, quam in fructibus integris & praeſertim bene maturis, hic aliquali examini erit ſubiiciendus. Delitefcit autem *in Aurantii floribus odor* admodum *gratus & fragrans*, qui e longinquo etiam hauſtus ſuavitate ſua nares peramica afficit titillatione, particulas ſalino-ſulphureas, volatiles & oleoſas manifeſte indicans; ob volatiles ergo particulas flores hi ſpiritus torpidos excitant, atque ſic roborant; ob oleoſas vero ſpiritus nimium commotos, ſive *impetum liquidi nervoſi* paullo *refraenant*, ſpaſticas nervoſarum partium contracturas moderant, toti corpori blandam inducunt quietem, & ſic vires deperditas mirum in modum inſtaurant. Integri vero *fructus* eique maturi, itemque *Cortices odore* pollent quoque *fragrante*, & ſuavi, particulis ſuis ſalino-ſulphureis, volatilibus & balſamicis aerem ſuaviter replente, qui cortices iisdem ac ſimul calefaciendi, incidendi, attenuandi & roborandi virtutibus

Inquiritur aurantii temperies 1. ex odore.

F gau-

gaudere manifeſtat. *Succus* vero & *ſemen* peculiarem odorem vix vel levem ſolum edunt, idcirco ex eo illorum temperies non eſt cognoſcenda; niſi quod ex odoris abſentia, quod non calefaciant, iudicemus, ſed ea potius ex illorum ſapore petenda erit.

§. II.

2. ex Sapore.

Sapor autem pro ratione partium ſane eſt diverſus: hinc & in unaquaque ſigillatim examinandus. 1) enim *Floribus* aurantii ineſt ſapor ex dulci amarus, & oleoſus; 2) *Cortici* vero temperate acris, amarus, aromaticus, in utrisque fixus, qui calorem ſive vim calefaciendi in utroque notat non exiguam; ex quo concludere licet, *flores & cortices* hoſce fibras corporis noſtri motrices blande ſtimulandi, ſanguinis motum accelerandi, hinc & humores viſcidos ac pituitoſos attenuandi, reſolvendi, incidendi, fibrasque ſolidorum roborandi ac vegetiores reddendi vim poſſidere. 3) *in pulpa* & *ſucco*, quem pulpa carnoſa continet, notatur *ſapor* vel *acidus*, vel in quibusdam *dulcis*. Acida natura incidendi, attenandi, exacuandi, dividendi, aperiendi, calorem temperandi, acre alcalicum ſive fervidum obtundendi, corpus detergendi, denſandi & confortandi. *Dulcia* temperant acria, ſed non tantopere refrigerant; peculiaris tamen demulcendi, inſpiſſandi, fibras nimis conſtrictas relaxandi illis virtus indita eſt. 4) *Semina*, quae magis *flava* eſſe ſolent citreorum ſeminibus, itidem amarore & oleoſo principio donata, *calida etiam eſſe* ſignificant; hinc & illis vis incidendi, calefaciendi & attenuandi, ut alia nunc taceam, non erit deneganda.

§. III.

Virtutes florum aurant.

Proprietatibus hiſce generalioribus expenſis, inquirendum nunc ſpecialius erit, *quibusnam in morbis aurantia* noſtra quam maxime *conferant*. Cum autem variae illorum par-

partes vario gaudeant temperamento, examen ſingulatim erit inſtituendum. Conducet vero, ſi in plantarum partibus naturam, in morbis autem anatomen corporis ſequar. Ex partibus enim aurantiae Medicinam uſitatiorem praebentibus ſe primo repraeſentant FLORES, pulchra albedine, figura & odore ſuaviſſimo ſe magnopere commendantes: hi vero *ventriculo* robur amiſſum reſtituunt, concoctionem adiuvant, morbos ex frigido oriundos, colicam praeſertim & inteſtinorum ſpaſmos tollunt, vel ſaltem mitigant, & contra eos praeſervant; uteri vitia corrigunt, partumque teſtimonio variorum autorum a) facilitant; adhaec cordi robur conciliant, hinc inter *praecipua cardiaca* merito referuntur; malignitati aeris, vaporum, morborum &c. potenter reſiſtunt; *cerebrum etiam nervoſque* roborant, ac ſpiritus recreant, ad *febres peſtilentiales* praecipue exanthematicas & ad ſudorem in his movendum maxime ſunt proficui.

§. IV.

Ex flore & ſpeciatim piſtilli parte inferiori, quod germen ſive embryo vocatur, naſcitur FRVCTVS. Hic vero vel totus vel eius partes ſigillatim ſumtae variis in morbis optato cum effectu exhibentur. Sic *fructus immaturi*, qui iu officinis Poma Aurantiorum *immatura appellari ſolent*, ob inſignem amaritiem viribus non deſtituuntur, ſed egregium ſunt *ſtomachicum;* ventriculum enim calefacere & corroborare appetitumque excitare, nec vulgus ignorat; ſiquidem in hunc uſum primo *poma integra* eaque parva & *immatura ſaccharo liquido inſpiſſato condire* atque aſſervare ſolent, quae ſubinde comeſta, non ſolum ventriculo conveniunt, verum etiam matutino tempore, *quando aer nebuloſus* vel *inſalubris eſt*, dum infuſum Theae ſorbillamus, commodiſſime *contra aeris pravas qualitates*, aut quando *morbi epidemici* graſſantur, una aſſumuntur. Vel vulgus eos cerevi-

Pomi totius vires.

 ſiae

a) Bauhinus, Riverius, Ferrarius, Pancovius aliique plures.

ſiae aut ſpiritui vini immittere & ſic eorum infuſum pro neceſſitate uſurpare aſſuevit. Vel poteſt inde etiam *eſſentia* parari, quae amara & egregie ventriculum roborat. Eandem ob cauſſam Cel. Paul. Henr. MOEHRINGIVS a) immatura aurantiorum poma remediis dyſenteriis quoque accenſet. Minimi uſum quoque habent *in fonticulis*, ubi ob lenem acrimoniam affluxum ſeri ſtimulant, & non ſolum ſerum vitioſum ab aliis partibus revellunt, ſed quoque fonticulos, ne praematura occludantur, praecavent. Ex *Aurantiis adhuc virentibus* nec plane adultis, in *Gallia Ciſalpina* referente FERRARIO b) Medicinam pro pueris, octo decemve annorum, *vermibus* laborantibus efficacem parant: Hic tale pomum, plurimi tamen & peracris ſucci abundans diſſectum exprimunt, transmiſſumque per linteolum ſuccum, cyatho excipunt, adiiciuntque generoſi *oleae* liquoris tertiam partem & cultelli cuſpide liquorem utrumque tamdiu peragitant, dum perfecte commiſtos vident. Tunc medicatam hanc potionem, guſtu non inſuavem, ſorbendam exhibent, efficaci ſane remedio *ad lumbricos alvi necandos* & depellendos. *Matura* autem *acida* & vinoſa primo odore ſuo fragranti multisque ſuavi, *debiles reficere* & loco cardiacae aut cephalicae aquae naribus cum fructu adhiberi poteſt. Praeterea, teſte ETTMVLLERO c), *eiusdem fere cum Citro uſus ſunt*, ſpeciatim tamen appetitum excitant, ſitim ſedant, inque *bilioſis & ardentibus malignisque febribus* conducunt. d) Itali, ut *Volckamerus* in Heſper. notat eis loco pomorum citriorum in paſtu ad appetitum excitandum, ut & gratum ſaporem carnibus aſſatis conciliandum, frequentur utuntur, eorumque ſuccum ſuper carnes has exprimere ſolent. *Anglos* ex aurantiis maturis in fruſta diſſectis, affuſa aqua & vino, vel etiam huius loco, pauxillo ſpi-

a) Vid. Comm. Lit. Norinb. A. 1735 p. 98. b) Heſp. 372. & ſeq. c) Vid. eius Colleg. Pharmac. in Schroederum. d) Vid. *Behrens* Selecta Diaetet.

ſpiritus vini, adiecto ſaccharo & pulvere nucis moſchatae, *gratum potum* praeparare, eumque aeſtate ſaepe bibere, EXC. DN. PRAESES mihi retulit. Ita & *potionis genus eſt ex aurantiis* paratum, quod Galli *Orangeade*, Hiſpani *Naraniada* appellant, pro ſcopo temperandi & ſitim extinguendi uſurpatum. *Dulcia* vero & *Sinenſia* ante cibum ſumta, *ventriculo* & *pectori prodeſſe*, *obſtructiones aperire*, *ſomnum conciliare*, catarrhos abigere, teſtatur BEHRENS. a) Solo dulcium crudorum eſu quosdam *a ſcorbuto* liberatos fuiſſe ſcribit ETTMVLLERVS, b) id quod vero *de ſcorbuto calido* intelligendum eſſe puto, additque in Italia tam incolas quam peregrinos, propter uſum pomorum aurantiarum raro affligi ſcorbuto. Ex hiſtoriis quoque navigantium videre eſt, *contra ſcorbutum* calidum ſive alcalicum hodie in Indiam abeuntibus, tam in capite bonae ſpei, quam alibi in calidioribus regionibus poſt longas navigationes, nullum praeſtantius remedium malis aurantiis & citreis exiſtere, *ut quidam etiam ſolo crudorum malorum uſu* a ſcorbuto liberati ſint c). Quapropter & *Celeb.* Anglorum Medicus SYDENHAMIVS Cereviſiae, ſic dictae, purgativae, pro depurando ſanguine ſcorbutico acri alcalico, ut & in *hydrope* aurantia poma addere conſuevit MATTHIOLVS e) aliique cum hoc, ut BEHRENS d) haec poma dulcia *febricitantibus minus ſalubria eſſe, nec ſitim reſtringuere* contendunt; verum & ratio atque experientia, ſi de *febribus continuis aut bilioſis loquitur*, contrariari videtur. Sic RAIVS f) (qui, licet Medicus non fuerit, tamen praeclara de virtutibus plantarum publicavit) *integrum cum cortice & carne comeſtum*, ante acceſſum febris intermittentis, praeſertim tertianae per ſaepe paroxyſmum avertere, & febrem ipſam profligare affirmat. Conciliari vero poſſe videntur

 ſen-

a) l. c. b) l. c. c) Conf. *Baubin.* Hiſt. Plantar. L. I. c 26. Boerh. de Cogn. & Cur. morb. nec non Mat. Med. §. 1162. d) comment. in Dioſcor. cap. 131. de Aurantiis. e) l. c. f) Hiſtor. Plant. p. 1660.

ſententiae hac contrariae, ſi *priores* de febribus pituitoſis & a cauſſa frigida ortis, RAIVM vero de *bilioſis* loqui intelligamus. Sic RIVERIVS, Medicus in praxi verſatiſſimus, *Cent.* 4. *obſervat.* 84. meminit ſutoris per ſex fere menſes *quartana* afflicti, qui ab hauſtu decocti pomi aurantii in partes diſſecti & in vino cocti, ſingulis auroris per aliquod tempus ſumto, ſemetipſum curavit. Tota haec poma virtute etiam pollent *anthelmintica:* Quapropter MATTHIOLVS & TRAGVS in herbariis ſuis *ad vermes necandos* & eliminandos ſequens ex aurantio praeparatum commendant. ℞ pom. aurant. no. j. in medio diſſeca, infunde ol. amygdal. amar. & aſſa, quod pomum ſic aſſatum umbilico imponatur. Ita apud *Alexium*, referente RAIO a) ſequens reperitur: „Rec. malum aureum (*aurantium*) perforetur & digitis comprimatur, ut ſuccus exprimatur, deinde oleo lini & ſucco „abſinthii rutaeque paribus portionibus impleatur, pauco „theriacae & lupinorum addito, parumque bulliant. Hoc „linimento pulſus, nares tempora, ſtomachus & umbili„cus linantur & videbis mirabilem operationem; additque hoc remedium ſemper placuiſſe *Chesneau*, qui magnus fuit Medicus, ut ex eius obſervationibus medicis patet. Quidam, annotante ZORNIO in *Herbario Pancovii portatili*, acida poma excavant & theriacae, croci & aceti portionem quandam cum ſucco mixtam rurſus replent, & ſic ſub cineribus aſſant, ex quo fit *unguentum*, quod *ſi temporibus illinatur, placidam inducit quietem*, ſi umbilico imponatur, puerorum *lumbricos* expellit, & ventriculum & cor confortat. AMATVS quoque ad acerbiſſimos *haemorrhoidum dolores* mirabile fecit experimentum ſequenti modo: Recipit Aurantium excavatum, & oleo roſaceo & pſeudonardi ſeu lavendulae dictae, ſemine replet, ſic ad cineres calidos tepefactum applicat & ſaepe innovat, unde mira vidit. Pro ſcopo *analeptico* etiam ex

a) Hiſtor. Plant. LXXIX. p. 1660.

ex pomis aurantiis ſuaviſſimae fiunt epulae, quas nos Germani *Pommerantzen-Salad* (quod eſt *acetarium ex aurantiis paratum*) vocamus, cuius parandi modus infra indicabitur. Quanquam tota aurantiorum poma exquiſitae ſint virtutis; tamen *ſi cruda per ſe nimia copia manducantur*, vix aliter fieri poteſt, quin ob vim ſucci refrigerantem nimiam ventriculum laedant, atque alvi fluxus inde ſubſequantur. Quemadmodum Simon PAVLI a nimio malorum horum eſu *diarrhoeas* & *dyſenterias* proveniſſe annotavit. a)

§. V.

Corticum vires in morbis abdominis.

Partes pomorum aurantiorum ſingulariter examinanti primo ſe offerunt CORTICES: qui *ex duplici ſubſtantia, flava* ſcilicet & *fungoſa alba* conſtant, quarum haec, ut inutilis reiicitur, illa vero ſola in uſum medicum adhibetur & propria corticum nomine venit. Quantum vero hi aegrotis adferant levamen, ſcribi vix poteſt. Sic legimus apud Guil. PISONEM b) proverbium Braſilianum: *non intrat Medicus aedes, in quorum veſtibulo crebri aurantiorum cortices mane conſpiciuntur.* Forte quia Braſilienſes aurantiis mercaturam exercentes, vel ab odore balſamicum effluvium ſpargente, vel ab eſu eorum a morbis praeſervantur, vel ſi forte his corripiuntur, eorum uſu morbos quoscunque profligunt, & ſic Medicos ſui ipſius agere poſſunt. Annotantur autem ſpeciatim ab autoribus eximiis virtutes egregiae non ſatis extollendae, ita ut nullus fere inveniatur morbus, ubi utilitatem quandam non exerant: Hinc ut SYLVIVS ſe ſine opio, ita ILL. DN. PRAESES *ſe ſine, aurantiis Medicum eſſe nolle*, ſaepius affirmavit, eaque in frequenti propterea habet uſu. Quia vero *calidioris* & acrioris ſunt *temperiei*, ſatis tamen moderatae, morbos abdominis, praecipue a cauſſa frigida aut languore partium natos, egregie leniunt vel

a) Quadripartit. Botan. tit de aurantiis. b) Hiſtor. Braſ.

vel tollunt: Sic blanda *balſamica ſua & ſuavi amara* indole, qua pleraque cetera medicamenta ſuperant, ventriculo calorem & robur reſtituunt, cruditatum proventum impediunt, praeſentes vero comminuunt, corrigunt & deſtruunt; hinc in quavis ventriculi fere labe egregie proſunt, atque ab EXC. DN. PRAESIDE adhiberi ſolent: imo & ſaepe vomitum domant. *Gaudent quoque egregia vi anodyna & carminativa*, ita ut quoscunque flatus potenter expellant, a) adeo ut etiam non immerito medicamentis pro flatibus diſcutiendis, corrigendo ventriculi acido & viſcido, flatuum genitore, admiſceantur; vel etiam ſoli contra eos, aut praeparata ex iis ſolis, ut pulvis, eſſentia vel aqua inde deſtillata, praeſertim cum vino aut ſpiritu vini, contra eos exhibeantur, praeſertim ſi alvus aliis remediis laxantibus prius ſoluta fuerit. Sic Medicus quidam expertus in uſu habuit *pulverem pro Colica* ſingularem, qui pro baſi agnoſcit cortices aurantiorum, quemque Celeb. ETTMVLLERVS in *Collegio ſuo Pharmaceutico* deſcripſit. Similem pulveris egregii anticolici deſcriptionem exhibet *Paul. Hermannus*, b) qui ita ſe habet: ℞. flaved. cort. aurant. ʒij. mand. luc. piſc. ocul. cancr. aa. gr. xv. ſuccin. praepar. ʒſs. ol. expr. cort. aurant. gt. vj. m. cuius, melioris effectus gratia, in graviori malo adiungi poſſent Laud. opiat. grij. ut & in Colica convulſiva caſtor. gr. vij. Ita haud pridem EXC. DN. PRAESES Viro litterato *flatibus, ructibus acidis & aſthmate* ſimul vehementer affecto, ut mortem inde metuerit, ſeq. pulvere egregiam opem attulit.

℞. pulv. flav. cort. aurant.
ſtomach. Birckm.
ſacchar. alb. a ℥ſs.
M. de quo ſaepius ʒj. comedendam ſuaſit; quo brevi ab omnibus illis malis liberatus eſt. Ne-

a) Vid. *Matthiol.* in Dioſcorid. Ioach. *Camerar.* in Hort. Med. & Philoſ. p. 24. aliique plurimi (b In Cynos. Mater. Med.

Neque minus *Ill. Fr.* HOFMANNVS *cortices aurantiorum* inter primaria ſpecifica *cardialgica & anticolica* recenſere dubitat. Dicit enim a) „*ubi flatus ſtagnant*, & incarceratis iis nerveae „ventriculi & inteſtinorum tunicae cum exquiſitis tormi„nibus diſtenduntur, corticibus aurantiorum, floribus cha„momillae &c. ſalubri diſcutiente effectu, nil ſuperius, eo „*quod recondunt oleum anodynum ſive mitigans*, ac propter „*amarum aromaticum*, acre, fragrans elementum, roborantem „& tonicum effectum exſequuntur, quo fit, ut poſtea fla„tuum cauſſa & minera, cruditates ſcilicet, commodiſſime „poſſint eiici.„ Sic EXC. DN. PRAESES pulv. cort. aurant. ʒj. in vini ℥ij. leniter coctam, addito pauco ſaccharo in colica & cardialgia a cauſſa frigida orta, ſaepe optato cum ſucceſſu dedit. Praeterea ventriculi & inteſtinorum *vermes* amarore ſuo enecant & expellunt. Ad haec egregie conducunt in *ſtranguria* & *dyſuria*, ſi praeſertim pulvis eorum ad ʒſs. vel ʒj. in aqua petroſelini vel chaerefolii, vel etiam in vino calido propinatur. Ita & *ad curam icteri flavi* multum conferunt; ſiquidem non ſolum vias felleas obſtructas reſerant, ſed etiam depravatum ac viſcidum ſanguinem ſale ſuo volatili oleoſo corrigunt atque diſſolvunt. Nec laude defraudandi ſunt *in Hydrope anaſarca & tympanitide;* hiſce enim in malis cum baccis iuniperi & ſummitatibus abſinthii iuncti atque potui, nodulo incluſi, iniecti, ſaepius egregie proſunt, ſicut & aliquot hydropicos potiſſimum hoc remedio curavit ILL. DN. PRAESES: b) Item in *Leucophlegmatia* praeſertim ab abortu vel partu alias praeternaturali orta, optime conducunt. Laudantur quoque in *paſſionibus hypochondriacis & hyſtericis*, ut & in *fluore albo*, praecipue ſi aliis etiam idoneis remediis admiſceantur; ſic & *dolores poſt partum diſcu-*

G *ti-*

a) Vid. eius Med. Rat. T. III. p. 580. b) qua de re uberius videri poteſt *Viri Praenobiliſſimi atque Experientiſſimi* Eliae Frid. *Heiſteri, Dni Fautoris ac Praeceptoris olim mei poſt fata etiam multis nominibus colendi* Diſſertat. de *Quartana & Hydrope* per cort. peruv. curatis p. 13. & p. 18.

tiunt, ſi vel ſoli, ut Thea, infunduntur & bibuntur, vel cum floribus chamomillae ita uſurpantur. Eundem in finem pulvis cort. aurant. aliis idoneis remediis admixtus, laudatur a WEISBACHIO in Libello ſuo Practico, Germanice edito. Uterum enim purgant & roborant. Quapropter optimis hodie Medicis in uſu eſt cortices hoſce infuſo per epicriſin purganti ad confortandum uterum adiicere. Non exiguum etiam ad *immodicos mulierum menſes ſedandos* uſum praeſtant cortices adhuc immaturi ſeu ſubvirides. Teſtatur id imprimis LVDOV. SEPTALIVS, a) qui *decocto corticum aurantiorum acrium*, *ſubviridium* multas feminas a *nimia uteri haemorrhagia liberavit*, quod nunquam fere, ut ait, incaſſum adhibuit, ſi ex aliquo uteri exulcerato vaſe non orta ſit. Has & *Riverii* b) & *Hamiltoni* c) formulas imitatus eſt Celeb. WERLHOFIVS, Magnae Britanniae Regis Medicus Primarius, eosque ob virtutem temperate tonicam *in moderandis menſium haemorrhoidumque fluxibus immodicis*, atque in moliminibus aberrantibus, & quibus fere ſcopis Millefolium a STAHLIO aliisque deſtinatur, feliciter aliquoties uſurpaſſe aſſeverat. d)

§. VI.

Corticum aurant. vis antifebrilis.

Cortices etiam aurantiorum ſolos *febres intermittentes ſecure profligare*, nemo forte credet, niſi hoc experientia & autoritate Virorum in arte Illuſtrium confirmetur. Teſtem igitur advoco primo LANZONVM, Italum, autorem graviſſimum, qui cortices hoſce egregie febrifugos a ſe compertos eſſe primus, ni fallor, affirmat. e) Nec minus eadem teſtatur *Franc. Mar.* NIGRISOLIVS, Medicus Ferrarienſis, f) aſſerens, *ſe poſt corticem Peruvianum nullum maioris efficaciae remedium febrifugum*, quam *corticem aurantiorum deprehendiſſe*, imo ſe non raro febres rebelles chronicas & *intermit-*

ten-

a) Libr. VII. Animadv. Med. art. 144. b) Prax. Libr. 15. Cap. 3. c) Vid eius Regul Praxeos p. 14. d) in Animadv. de Limit. febrium laude. p. 79. e) Vid. Ephem. Nat. Cur. Dec. III. An. II. p. 40. f) in Libr. Febris china chinae expugnata. inſcripto p. 279.

tentes, cortici peruviano ipſi refractarias, cortice hoc a ſe & ab aliis *feliciſſime curatas* vidiſſe; potiſſimumque ſummae efficaciae expertus eſt in febribus, quae vitio ventriculi & fluidorum, quae chyloſin promovent, contingunt. a) Variis autem modis laudatus autor, pro ratione aegrorum natura, palati & febrium indole praebuit, atque vel in *forma pulveris*, vel *boli bis* vel ter de die ad ℥j. vel *ſpecie infuſi* ex flaved. cort. duorum pomorum probe maturorum & vini generoſi ℔iv. ter ſaltem de die ad uncias quatuor ſorbendi; b) donec febris curata fuerit; hac vero profligata, ad reditum arcendum, rurſus vel infuſi bis de die uncias quatuor, vel ſemel uncias ſex ſumendas ſuaſit. Vinum quoque tale hiſce in morbis etiam pro potu ordinario bibendum ordinavit; vel etiam porrexit cortic. aurant. eſſentiam in liquore quodam convenienti; ſemper tamen ſuadet, hoſce cortices, vel eorum praeparata extra paroxyſmum & ſomni tempus ſumenda. DVBEVS, Gallus, c) ad *Quartanas quoque debellandas* vehementer hos cortices commendat. Ita & ſaepe laudatus HOFFMANNVS corticibus his virtutes in *intermittentibus febrifugas adſcribit;* d) eosque EXC. DN. PRAESES etiam in ſcholis ſuis Medicis, praeſertim in utiliſſimo Compendio ſuo Medicinae practicae e) & Materia Medica hunc in finem auditoribus ſuis commendare ſolet. Ipſemet etiam quam plurimos caſus obſervavi, cortices hos a Medicis fama & experientia claris, tam in patria mea, quam extra eam, non ſine fructu contra intermittentes quaſcunque adhibitos

a) qui plura de his ſcire cupit, vel evolvat autorem ipſum, vel Cel. *Werlhof.* libr. cit. p. 80. b) eiusmodi infuſum etiam parari poteſt *ex cort. aurant. & aqua quadam deſtillata*, ut card. bened. cent. min. vel ſimilibus, eundemque praeſtabit effectum. c) libro gallico, *Medicin des pauvres.* d) in opuſcul. phyſ. Med. p. m. 442. e) Cap. de febr. intermitt. §. de ſpecificis antifebrilibus.

tos fuiſſe. Cel, WERLHOFIVS primo quidem refert a) ſe *cortices hoſce in quartana aliquoties ſine notabili ſucceſſu praebuiſſe*, ulteriori vero experientiae, ut febrifugum, ſimul committit: communicat tamen Commercio Litt. Norimb. b) ſe hiſce corticibus quartanam in duobus aegris data pulveris drachma tertia quaque hora fugaſſe, additque primum paroxyſmum ſtatim ab eo remedio mitiorem factum fuiſſe, & continuato uſu ſenſim ceſſaſſe febrim, nondum chronicam. Clariſſ. D. MOEHRINGIVS c) quoque cortices aurantiorum *in re- & intermittentibus profligandis* commendare non dubitat, & ſorori ſuae 14 annos natae, a copioſa prunorum ingeſtione quartana per menſem iamiam laboranti, *electuarium ex corticibus horum* uncia una & dimidia, *cum ſirup. acetoſit. citri* q. ſ. paratum, tam optato cum effectu dedit, ut quartus, nullo praevio purgante aliove digeſtivo remedio, paroxyſmus ceſſaret; praebendo poſtea reverſionis avertendae gratia adhuc unciam dimidiam huius corticis, neque minus aliquamdiu in prandio doſin elix. vitriol. Mynſ. Hiſce exemplis & ratione permotus fui ante aliquod tempus ipſe hac de re *experimentum* facere. Erat hic ſuperiori menſe Novembri ancilla quaedam per intervalla a duobus fere annis primo febre tertiana, ſe poſtmodum in quartanam mutante, afflictata, quae febris praeſtantiſſimis remediis antifebrilibus, imo & ipſo cort. Peruv. per longum temporis intervallum adhibito, cedere recuſavit. Quia antea medicamentis generalioribus & ſpecificis iam uſa erat, nulla nunc alia praemittere volui. Porrigebam ipſi ergo, ſuaſu EXC. DN. PRAESIDIS, mox poſt paroxyſmum pulveris *cort. aurant. curaſſavic.* (quos ceteris praeſtare exiſtimo) uncias tres, & ſuadebam, ut his per diem omni tri-vel quadrihorio, quantum cochleari modico capi poteſt, ex infuſo Theae, ce-

a) lib. citat. p. 79. b) An. 1735. pag. 98. c) in commerc. litt. An. 1736. p. 20.

cereviſia, vel alio quodam liquore ſumeret; duabus autem ante febris acceſſum horis in lecto, poſt aſſumtam doſin, ſe committeret, & corpus probe obtegeret. Quod cum feciſſet, febris quidem illam, quarto die, conſueto tempore, rurſus, ſed leviſſime tantum, ita ut vix eam ſenſerit, invaſit: continuato autem rurſus poſt hunc lenem paroxyſmum illius pulveris uſu, febris tempore ſubſequentis paroxyſmi non rediit, ſed omnino evanuit, ita ut praeſenti tempore non ſolum a febri prorſus libera ſit, verum etiam ſalva tota & incolumis labores ſuos perficiat, quamvis alias hac autumnali tempeſtate febres quartanae difficillime curentur, & ante notum corticem peruvianum inſanabiles habitae ſint.

§. VII.

In morbis thoracis.

Linquens abdomen *accedo nunc ad thoracem.* Quanta vero huic corporis parti cortices noſtri praeſtant emolumenta, neminem vel obiter in praxi medica verſatum fugiet, cum & vulgum non lateat. Non immerito ergo *inter primaria cardiaca* referuntur, utpote *in omni virium proſtratione & tremore cordis* a cauſſa frigida vel pituitoſa ortum trahente & inde pendente cordis languore, uſum habent non ſatis depraedicandum: ſiquidem vi ſua balſamcia & ſuaveolente ſpiritus inſtaurant, fibras cordis motrices ſtimulant, ſicque vaſa inertia movent, humoreſque pituitoſos & ſtagnantes diſſipant atque expellunt. Ita & *aeri malignae* vel *peſtilentiali potenter reſiſtunt. In Aſthmate* quoque *flatulento*, ubi pulmonum actio a flatibus in inteſtinis & ventriculo retentis ſummopere atque cum *metu ſuffocationis* laeditur, expellendo flatus & abigendo huius morbi cauſſam, optimum hiſce aegris afferunt levamen. conf. §. V.

§. VIII.

In morbis capitis.

Nec *in Capitis affectibus*, praeſertim *frigidis & pituitoſis* cor-

cortices noſtri uſu carent., quippe *vertiginem*, praecipue, quae a laeſo ventriculo progigni ſolet, tollunt; ſic etiam in *animi deliquiis* ſive ſyncope non parum proſunt, & ſpeciatim: aqua vinoſa inde praeparata, cum vel ſine eſſentia eorum, (de quibus infra plura) item *melancholicis* & *meticuloſis* animum addunt, *memoriae debilitati*, ſuccurrunt!, *inſultus apoplecticos*, *paralyticos* & *epilepticos* levant & avertunt. Recens *aurantii corticis fruſtulum* mane ante cibum, vel ſi opus, etiam veſperi in *nares coniectum*, *errhini habet effectum*, *atque ſaepe ſternutationem promovet*, *caputque a pituitoſo* vel ſuperfluo *humore*, citra ipſius capitis laſſitudinem, *purgat*. Communicavit nobiscum ABR. MVNTINGIVS a) *pulverem ſternutatorium*, cuius baſis eſt *cortex aurantiorum*, qui ita ſe habet. Rec. cort. Aurant. ℥iij. Flor. aurant. herbae maioran, roriſmarini, radic. helleb. alb. irid. Flor. a ʒß ol. anis. gt. V. caryoph. gt. iij. M. F. Pulv. ſubtiliſſ. de quo parum naribus attractum lene ſternutamentum efficit, caputque a nimia pituita liberat. Si *ex recenti cortice digitis oleum* ita exprimitur, ut id ſtatim ex cortice in oculos proſiliat, viſum inde multum roborari, ſtatuunt multi; ſequitur quidem inde dolor brevis, ſed mox oculus & viſus acutior reddi videtur. b) *Ad ulcera* quoque ſerpentia in ore puerorum, quae graeci *Aphthas* appellant, *pulverem corticis*, cum alumine & melle in formam linimenti redactum, quoque commendant, c) Nec cortex uſu deſtituitur, *ubi apophlegmatiſmo* opus eſt, ſi v. g. ſaliva ex glandulis ſalivae ſecretioni deſtinatis, non ſatis copioſe in os effunditur, & ſic lympha in variis capitis partibus congeſta, varios efficiat morbos, quos *catarrhos* vulgo vocant, tunc optime cortex aurant. ut medicamentum iucundiſſimum & efficaciſſimum in uſum vocatur; ſiquidem fru-

a) in magno ſuo herbario belgice edito p. 15. b) Vid. Ioh. BAVH. Hiſt. Plant. p. 104. c) Vid. Ioach. CAMERAR. Hort. Medic. & Phil. p. 24. & Ferrar. Heſper. p. 477.

fruſtulum eius in ore detentum, dentibus contritum ſive manducatum, blanda ſua acrimonia, dictas glandulas irritante, copioſiorem lymphae in os influxum promovet & hac ratione morbos ab eiusmodi ſeroſa colluvie ac ſaliva retenta ortos, abigit, vel etiam praeſervat: a) atque ſic uſurpata etiam *oris foetorem* corrigit. Quidam referente I. BAVHINO, b) cortices ad *furfures* & *lentigines* praeſcribunt. Cel. Ioan. Domin. SANTORINVS c) contra *gingivas putridas* & dentes vacillantes commendat decoctum ex aceti parte una, vini (*rubri*) partibus duabus, cum portione cortic. aurant. & pugillo uno florum lavendulae paratum; quo ſaepe os eſt eluendum.

§. IX.

Remoto cortice in conſpectum prodit *pulpa carnoſa* ſeu *medulla* ſuccum copioſum in ſe continens. Quanquam vero ſubſtantia pulpae ſola ob tenacitatem ſuam raro pro medicamento commendetur, tamen fere easdem obtinet virtutes, quas ſuccus, & ſimul adſtringendi atque obſtruendi fine ſuaderi poteſt; dum revera ob tenacem coniunctam ſubſtantiam diarrhoeam & dyſenteriam in fortioribus & biliofis ſubiectis ſiſtere nimiumque menſium fluxum compeſcere apta eſt. Fruſtulum pulpae aurantii acidi, ſi hoc ante ſomnum facies fricetur, huius ruborem nimium, praeſertim in ſexu ſequiori tollit. Interea tamen *ſuccus*, qui in hac pulpoſa ſubſtantia detinetur, inſigniores nobis praeſtat utilitates. Si *acidus* eſt, iunioribus & bilioſis ſubiectis ſemper quam maxime prodeſt: aeſtum enim temperat, ſitim febrilem ſedat, inflammationem diſcutit, ſomnum conciliat, dolores mitigat, & cor laetificat; idcirco in morbis, ſpeciatim *febribus ardentibus malignis*, tam praeſervandis quam curandis ſimilem fere cum citro & limoniis uſum atque effectum praebet; ſanguinem exaeſtuantem

Pulpae & ſucci vires.

a) Conf. ETTMVLL. Colleg. Pharmac. in Schroeder. p. m. 998.
b) Hiſt. Plant. 104. c) in iſtruzione intorno alle febbri edit in Venezia 1734. p. 49.

tem temperat, humores glutinoſos diluit & reſolvit, hinc & ſcorbuto medetur. Si pueris bibendum praebeatur, *lumbricos* expellit. Si hoc fiſſurae labiorum a cauſſa calida ortae fricentur, has egregie ſanat. *Dulcis* vero minus refrigerat & in morbis pectoris & *pleuritide* tuto & non ſine fructu adhibetur. In hac enim & ſimilibus morbis calidis, potiſſimum *ſucco violarum mixtus*, *etiam ſomnum provocat.* a) COMMELINVS b) in *affectibus pulmonum ſuccum hunc dulcem* valde conducere aſſerit. Cel. MVNTINGIVS c) dulcia haec mala, acidis hic praefert, quia non adeo refrigerant, hinc in dyſthymia & ſenio porrigit, imo & feminis, quae obſtructionibus uterinis afficiuntur.

§. X.

Seminum vires.

Abiecta pulpa & expreſſo ſucco SEMINVM poſtremo relictorum virtutes reſtat eruere. Illorum autem *amarities*, licet gradu a corticibus differat, tamen multas *virtutes cum his habere communes*, nobis ſignificat: praecipue vero *ſtomacho conveniunt*, vomitum domant, & *venenis reſiſtunt*, hinc in emulſionibus *in febribus malignis ad promovendam diaphoreſin* & expellendam cordi inimicam humorum malignitatem non ſine emolumento propinari poſſunt: hac ratione *ſemina haec etiam cardiaca* audire merentur. Mirum eſt, quod ſcribit I. BAVHINVS in Hiſt. Plant. de *horum ſeminum vi laxandi*; dicit enim, quod, *ſi cum cortice ad* 40. *vel plura ſemina* commeſta ſunt, *alvum ſolvant*, idque DIOSCORIDEM quoque notaſſe & BRASSAVOLAM in tract. de Purg. Med, aſſeverat, Nec minus valent *ad vermes inteſtinorum enecandos* & expellendos, ſive ex eis praeparentur emulſiones, ſive in forma pulveris interne ea adhibeas, ſive *externe umbilico applices*, qui ultimus modus tanto erit efficacior, quanto illis alia arthelmintica praeſtantiora, praeſertim amara, ut praeparata ex colocynthide, fel tauri, oleum deſtill. abſinthii & tanaceti aliaque ſimilia admiſceantur.

§. XI.

a) Vid. Ioach. CAMERAR. in Hort. Med. p. 24. b) in Heſper. Belg. p. 46. c) in magno ſuo herbario Belg. edito p. 15.

§. XI.

Foliorum uſus.

Quemadmodum tam vile quid fere nihil exiſtit, quod uſu ſuo deſtituitur, ſic etiam FOLIA *aurantiorum* inter inutilia non ſunt referenda. DALE enim in *pharmac.* virtutes foliorum cum viribus florum convenire cenſet. D. CHOMELIVS a) vero folia haec mox easdem cum corticibus vires habere ſcribit, in quo non omnino diſſentiendum; Si enim haec digitis fricentur, balſamici odoris fragrantia mox ſentitur. Ideo FERRAR. b) & COMMELINVS c) ad ſpiritus foetorem corrigendum, eumque gratum reddendum ea, ſicut de corticibus dictum eſt, manducare ſuadent. Iidem autores *folia aurantii* recentia contuſae vel alio modo laeſae tibiae bis de die applicata, ei mederi perhibent. MYREPSIVS quoque folia haec ad enema in dyſenteria expertum, cum foliis citri, myrti, fructibus auſteris aliisque commiſcet. d) Forte etiam recentia, ad *modum herbae Theae uſurpata*, aperiendi, roborandi, diaphoretica ac diuretica virtute non erunt deſtituta.

§. XII.

Uſus Politicus, mechan. & oeconomicus.

Antequam huic capiti finem imponam, conferet adhuc quaedam *de uſu aurantiorum politico ſive mechanico & oeconomico* dicere. Si mala citrea olim magni aeſtimata & in veſtiaria poſita fuerint, ut veſtes non modo ſuaviſſimo ſuo odore perfunderent, ſed & easdem a tineis praeſervarent, aurantia noſtra hac in re maiorem habere uſum arbitror: quippe horum cortices licet exſiccati, per multos annos odorem ſuum conſervant, & non tam facile, quam citrei, corrumpuntur. Poſtquam autem uſus eorum Medicus & oeconomicus melius innotuit, gentes quamplurimae, praeſertim Itali & Hiſpani ea omni ſtudio colere inceperunt, ut ho-

H

a) in Libro Gallico: Abregé de l' hiſtoire des plantes uſuelles, 1712. pariſiis edit. p. 244. b) Heſp. p. 467. c) Heſp. Belg. p. 43. d) libr. ſupra citat.

hodie hiſce arboribus & pomis inſignem mercaturam faciant: ſic I. BAVHINVS Hiſt. plant. meminit *Monſpelii ſuo* tempore *aurantia minori pretio, quam mala vulgaria divendita eſſe*, ita ut aliquando 24 pro uno aſſe regio coemerit. Succum aurantiorum a Cretenſibus a) Byzantium, & a Graecis in alias Turcarum oras copioſe transportari notat BELLONIVS; b) quo ſucco Turcae in cibis omphacii loco plurimum utuntur. Omnes quoque aurantiae partes hodie & politica & oeconomica uſurpant: ſic *flores ab unguentariis* ſedulo decerpi ſolent ad varia odoramenta conficienda. Multi aurantii ſemina terrae committunt, ex quibus *arbuſculae primo anno veniunt*, quas in *acetarii modum* comeſtas, admodum palato gratas eſſe perhibent, ventriculum quoque inſuper roborare & adpetitum excitare. Poma *recentia dulcia eorumque cortices*, praeſertim ſaccharo conditi, in principum & magnatum aulis fere quotidie non menſas tantum ornant, ſed & ut deliciae conſumuntur. *Pomula aurantiorum decidua* Italis ad parandos percantium globulos, etiam inſerviunt. BAVHINI tempore pomula haec in Gallia a ſequiori ſexu vel ornatus vel odoris gratia de *collo ſuſpendebantur*. Itali quoque, annotante FERRARIO c) ex pomis adultioribus vaſcula, ubi pulvis nicotianae ſ. ſternutatorius aſſervari ſolet, (vulgo Schnubtabacks-Doſen) conformare ſciunt. Succum aurantii praeſertim dulcem vino quidam commiſcent, ita hoc citius inebriare credunt. *Succo eodem etiam loco atramenti ſcribuntur litterae occultae*, quae non niſi igni admotae manifeſtantur vel legi poſſunt. Succum denique, praeſertim acidum *tinctores* ſerici in uſus ſuos cum fructu adhibere callent. Tandem etiam calidis in regionibus multi a confectione potius illius, quem *oreniade* appellant, victum quaerunt. *CA-*

a) in quorum inſula Tourneſ. in itinerario ſuo, ingentem copiam arborum aurantiorum ſe offendiſſe affirmat. b) in obſerv. adiect. Cluſ. exotic. c) Heſper. 479.

CAPVT III.

EXPONENS

AVRANTIORVM PRAEPARATA EAQVE ADHIBENDI MODVM.

§. I.

QUemadmodum omnes aegroti plantam quandam vel eius partes crudiores, licet per ſe datae maiorem ſaepius haberent uſum, quam multa arte mutatae, aequali tamen ſemper gratia nec valent nec quandoque volunt aſſumere. Sic Medici antiquiſſimi, varias iam methodos excogitarunt, ut hanc ob cauſſam varia ex uno remedio praeparata efficerent, quae pro ratione morbi & aegri omnibus aegris dare poſſent. Tali ratione, licet aurantii flores, poma eorumque ſuccus, cortex & ſemina per ſe adhibita eximiam corpori humano praeſtant utilitatem, tamen multi ſunt, qui aurantia cruda aſſumere averſantur, vel ubi etiam Medici praeparatum efficacius & utilius eſſe cenſuerunt, ideo varii autores non exiguam habuerunt curam, ut Medicamenta ex aurantiis varia praepararent, non ſolum maioris utilitatis cauſſa, verum etiam ut haec cuivis palato accommodare, & *iucundum* illud, quantum fieri poteſt, & ſimul utile, obſervare poſſent. Quaenam ergo remedia ars Pharmaceutica nobis ſuppeditet, explorare nobis nunc reliquum eſt. Cum autem quamplurima inde inveniantur praeparata, ea non promiſcue, ut quandoque fieri ſolet, ſed arboris eiusque partium, naturam praeeuntem imitans, proponam. Si ex planta quadam per longaevum tempus vigente ens, chymicis ita dictum primum, ad ſanitatem conſervandam & longaevitatem vitae procurandam aptum

Praeparationis medicamentor. neceſſitas.

parari poſſet, quemadmodum *Paracelſus & Helmontius* id ex *Cedro* producere ſatagerunt; certe praeter hunc vix ulla planta ad tale remedium efficendum aurantio aptior exiſteret: ſiquidem haec arbor, notante FERRARIO, ultra quingentos annos vivere & durare poteſt. Cum autem tale remedium ex hac elici nondum potuerit, aliis nos contentos eſſe ratio dictitat.

§. II.

Praeparata ex floribus aurant.

Primo autem luſtrandi *flores.* Ex his vero primario *aqua* adeo celebrata, *Naphae* dicta, variis modis deſtillari poteſt. Cum autem, quod maximopere dolendum, aurantiae flores in Germania tanta copia facile & ubique colligi nequeant, quanta in Italia aliisque regionibus calidis; ſic etiam methodo Italica, quae omnes antecellere videtur, dum *ex meris floribus, ſine affuſo liquido*, elicitur, aqua haec a nobis parari aegerrime poteſt; *aqua autem ex ſolis floribus & aqua ſimplici* deſtillata minus efficax, nec adeo durabilis eſt, placet modum ex Cel. Pharmacopoei Regii D. LEMMERII chymia depromere, ubi eam ſequenti ratione deſcribit. a) Rec. florum aurantiorum adhuc recentium libras ſex, contuſi in vaſe marmoreo immittantur in cucurbitam, tum adde flavedinis corticum aurantiorum amarorum conciſae uncias ſex; his ſuperaffunde vini albi & aquae meliſſae aequali portione, libras quatuor, & ſpatula lignea omnia miſce; ſic vas optime claudatur, & mixta per duos dies in fimo equino calido digerantur; poſtea materiam in cucurbitam vitream effunde, ſupra quam ponatur alembicus, probe ad oras lutandus, cum receptaculo, ſic ex cucurbita in balneo Mariae poſita, aqua ſecundum artem ad duas tertias deſtilletur, quae in vaſe bene clauſo uſui ſervanda eſt.

a) Tom. II. Cap. 14.

eſt. Egregium ſane remedium praeſervans contra vapores & malignitatem aeris, quod & datur *ad promovendos menſes*, *confortandum ventriculum*, *cor & cerebrum*. Hiſpanis, referente CAMERARIO, a) haec aqua ad *facilitandum partum* cum aqua pulegii mixta, frequenti eſt in uſu. RIVERIVS aquam hanc *in morbis Hyſtericis* cum moſcho & ſanguine draconis commixtam praebet: b) ſic etiam in forma epithematis cardiae applicatum, cordis robur augere ſcribunt. Attamen caute in hyſtericis cum his agendum eſſe cenſeo, quia quamplurimis mulieribus bene olentia valde adverſa ſunt. Per ſe datur a ſcrupulis duobus ad unciam unam: vel unam & dimidiam. Si MVNTINGIO monente, c) aqua talis ad aliquot, uncias ſumatur, *morbos peſtilentiales avertit*, *cor*, *uterum*, *embryonem confortat*, bilemque corrigit. Aquam hanc ſudores etiam movere perhibet PLATERVS. d) Eodem fine DALECHAMPIVS, notante I. BAVHINO, e) ad *febres peſtilentiales* cum exanthematibus corpus obſidentibus aquam hanc pondere ſex unciarum hauriendam praebet, ſic putridos humores ab internis ad externas partes per ſudores expelli, cordique ſimul plurimum conferre affirmat. Utile eſt, inquit idem BAVHINVS, f) *ut peſtis tempore*, facies, manus, axillae, & pudenda aqua hac abluantur. Nec mirum eſt aquam hanc tantae eſſe efficaciae, dum maſſam ſanguinis intimam ita penetrat, ut, dum ILL. DN. PRAESES aliquando Comitis, qui ante mortem ad vires roborandas per plures dies ſaepiſſime hanc aquam, ſibi gratiſſimam, largiter aſſumſerat, cadaver, balſamo ſimul

 con-

a) Vid. *Bauh.* Hiſtor. Plant. p. 104. & *Pancov.* herbar. port. autore Zornio edit. p. 57. b) Prax. Med. Cap. 6. & cent. I. obſerv. Med. 65 & 94. c) Newkeurige Beſchrievunge der Aerdgewaſſen p. 15. d) Referente *I. Bauhin.* in Hiſtor. Plant. p. 104. aliique. e) ibid. 105, itemque Ioach. *Camerar.* in Hort. Med. p. 24. f) libr. cit. p. 105.

condiendum, ſecuit, omnes partes non ſolum in abdomine, verum etiam in pectore, imo & cerebro & artubus ſuavem florum aurantiorum odorem ſpargebant. Interea tamen monere hic volo, quod, quam ſuavis etiam atque amoenus ſit ille florum & aquae odor, dari tamen homines, praeſertim feminae hyſtericae, qui hunc odorem fragrantem ferre nequeunt, verum in animi deliquia iis potius coniiciuntur; adeoque Medicus obſervare & inquirere debet, utrum aegri hunc odorem ferre queant, nec ne, ut tunc in tempore ab horum uſu abſtinere queat. Neque minus valet *pro odore & ſapore aliis medicamentis tam extemporaneis*, quam in officinis pharmaceuticis aſſervatis conciliando. Ita Galli aquam Naphae & odoris & maioris activitatis cauſſa aquis Divinae, Imperiali, Hyſtericae, milleflorum, & ad gingivas uſitatae, nec non Elixirio ſtomachico, ſirupo hordeato, capillor. veneris & de viperis, decocto albo, tabulis de althea, bechicis, de rheo &c item & praeparationibus lapidum cancrorum, matris perlarum &c. Unguento Pomatino & roſato ad miſcere conſueverunt. Magnates Italos ad odoramenta varia conficienda ea frequenter quoque uti aſſeverat I. BAVHIN. a)

§. III.

Qui *ſpiritum florum aurantiorum* ſeu naphae deſiderat, is aquam praecedentem, ut §. II deſcripſimus, ſimili ratione rectificet ad quartam tantum partem; hic ſpiriius non ſolum viribus cum aqua convenit, ſed longe eſt praeſtantior, ita ut etiam minori quantitate data eosdem praeſtet effectus, inſervitque potiſſimum illis, qui copiam medicamentorum abhorrent. Dolendum quam maxime, quod nobis Germanis non detur *Eſſentiam illam* b) *ex floribus aurant;* quam Neapo-

a) libr. cit. b) Vid. ETTMVLL. Colleg. Pharm. l. c.

poli religioſi quidam praeparant, maxime pretioſam, *coloris ſanguinei* ſive aurei & clari, moſchi odorem referentem parare; quia ut egregium cardiacum in deſperatis morbis, cum ſummo ſaepe virium levamine adhibetur. Docet tamen Pharmacopoeia Pariſienſis efficere Tincturam flor. aurantiorum, dum his ſuperfundunt aquam vitae ſeu ſpiritum vini ad eminentiam 4. digitorum, in vaſe poſtea obturato ad ſolem digerendo & ſic uſui ſervando; forte haec eundem in uſum praeberi poterit. Eodem modo parat COMMELINVS a) *aquam vitae* vel *ſpiritum florum aurantiorum* ſequentem in modum. Rec. flor. aurant. rec. ℥ij. Spirit. Vini pint. j. M. & ſtent ſpatio 14 dierum in vaſe clauſo ad ſolem: de hoc, ſi mane ad cochlear unum ſumatur, curat morbos frigidos, praeſertim colicam & ſpasmos inteſtinorum, & ab iisdem, ſi ſubinde aliquid aſſumitur, praeſervat. Ex floribus non tantum aqua & ſpiritus, ſed & *oleum*, Italis *Neroli* dictum, utilitate & voluptate praeſtantiſſimum, elici poteſt. Cum autem apud nos ob defectum florum, qui copia magna ad id requiruntur, vix vel non ſine magnis expenſis parari poterit, ſiquidem ſexaginta librae florum vix unciam unam olei praebent; b) Idcirco modum praeparationis huius verae cupidos ad *Ioh. Baptiſtam Portam* & ad *Angelum Salam*, oleum tale per fermentationem parantes relego. c) Qui vero pretioſum hocce oleum ſibi ex Italia adferre curant, idem etiam ad innumeros affectus, praeſertim *melancholiam*, *febres* item *contagioſas*, *ſtomachi* uterique *vitia*, vel in forma elaeoſachari vel in vino maximo cum emolumento adhibere poterunt. Laudatus LEMMERIVS quidem nobis aliam oſtendit

a) Heſp. Belgic. p. 43. b) Romae & in Galliae Provincia optimum parari aſſerit *Valentini* in Hiſtor. ſimpl. c) modum alium, qui non ita pretioſus videtur, exhibet nobis *Boerhaavius* Chymicus hoc aevo facile Princeps, in Tom. II. Chym. Fund. Proc. XXV.

dit oleum praeparandi viam; floribus enim hic addit pomula aurantiorum immatura, & flavedinem corticum eiuſmodi recentium contuſam. Verum, licet tale oleum non ſit ſpernendum, multaque praeſtare poſſit commoda, tamen tam efficax non eſt, quam *Neroli* Italorum, nec recte oleum florum aurantiorum nuncupari poteſt. Sunt non nulli, qui ex floribus hisce *oleum per expreſſionem* parant, quod tamen aliquatenus hoc modo adulterare ſolent. Recipiunt baccas Been vel ſem. melonum, vel amygdalas, contuſas indunt ollae vitreatae & ſuperſpargunt flores aurantiorum, ſic faciunt aliquoties S.S.S. & relinquunt per aliquot dies & noctes, dein flores abiiciunt, & novos inſpergunt: hoc aliquoties iterato, tandem per ſacculum linteum exprimunt; quod oleum tamen non adeo inſignem uſum habet in Medicina. Quidam *flores ſaccharo conditos* conſervare ſtudent ſequenti methodo. Legunt ſcilicet flores neque immaturos, neque maturiſſimos, ſed ipſa maturitate perfectos; hos in vaſe clauſo cum aqua, aequali igne, coquunt, donec molles fiant, & amaritudinem demiſerint: tum ex aqua depromunt, & Iulepo, ex ſaccharo cum aqua naphae l. a. parato, immittunt: ſi per 24. circiter horas ſteterint, affuſus ſirupus vel Iulepus limpidior evadere ſolet, ideo eum, a floribus remotum, rurſus ad conſiſtentiam ſirupi inſpiſſant, & ſic demum affundunt, quod tam diu reiteratur, donec ſirupus conſiſtentiam ſuam conſervaverit. Praebentur hi flores conditi ad roborandum, praecipue delicatulis, qui amara, aliaque nauſeoſa remedia abhorrent. Si loco ſirupi vel Iulepi ſumatur ſaccharum ad conſiſtentiam tabularum coctum & in hoc flores iniiciantur, *morſuli* vel *tabellae* inde fieri poſſunt, eidem uſui commendandae. Ex floribus puris & ſaccharo conſervam quoque parare ſolent eosdem effectus praeſtantem. Habentur quoque apud Italos adhuc *paſtilli*, qui ad firmandum cor, & *inflationes diſcutiendas*, item in *melancholicis* & meticuloſis, in prava aeris diſpoſitione, frigidis, praeci-

cipue pituitoſis capitis & uteri morbis potiſſimum uſurpantur. Quia vero hi apud nos Germanos non ſunt in uſu, eorum praeparationem laborioſam ſilendo praetereo & ad *ſirupi florum aurantiae* confectionem me accingo.

§. IV.

LEMERIVS a) ſirupum horum florum, MESVEN, ut autorem, citans, parat, cum tamen apud hunc nullum de voce aurantii reperiatur veſtigium. Poſt hunc etiam deſcribit *ſirupum huiusmodi reformatum*, quem vaſis apertis praeparare videtur. Quae vero praeparatio mihi omnino non placet. Praeſtabit autem ſequentem in modum ſirupum talem conficere. Rec. flor. aurant. ℔ß, contuſis prius, in cucurbita vitrea ſuperaffunde aquae florum aurant. antea deſcriptae ℔ij. cucurbita haec prius probe obturata ponatur per 24. horas vel ultra in loco calido, poſtea vaſe refrigerato materia coletur, colatura haec in vaſe clauſo ſtet, per aliquot horas, ut particulae terreſtres ſubſideant, aquam hanc caute effunde, cui in vaſe vitreo addantur ſacchari albiſſimi ℔IV. & in loco calido vaſeque bene clauſo ſolvantur: hic ſirupus refrigeratus vaſe idoneo uſui ſervetur, qui efficacior erit, quam qui a LEMERIO vel aliis deſcribitur, quia, cum vaſe aperto ad ſirupi conſiſtentiam coquatur, particulae volatiles in auras abeunt. *Sirupus hic ad recreandos & excitandos ſpiritus*, humores malignos invertendos, & ad alia medicamina grata facienda eſt utiliſſimus. Nec interna tantum ex his parantur *remedia*, ſed & *externa*. Praeparant enim POTERIVS & FERRARIVS *Vnguentum florum aurant.* quinque diverſis modis deſcriptum, illudque hic ad inflammationes totius corporis, praeſertim feminei itemque ad ſaevientem podagram depraedicat; quia vero cum recentioribus de tali virtute

I du-

a) Pharmacopée univerſelle p. 165.

dubito, modos hos deſcribendi operae pretium non eſſe puto, ideoque ben lect. qui id ſcire cupiuut, ad auctores ipſos relego.

§. V.

Praeparationes ex pomis integris.

Neque minus *de totis aurantiorum pomis* variae in pharmacopoliis inveniuntur praeparationes: ſic *ex pomulis* adhuc *immaturis & ſiccis*, ſuperfuſo ſpiritu vini rectificato, *eſſentia quaedam ſtomachica* conficitur, paribus fere cum Tinctura vel Eſſentia Cort. aurant. virtutibus pollens. a) Vt *aquas ſic dictas vitae*, quae quibusdam non immerito aquae mortis nuncupantur, eo efficaciores reddantur, his pomula huiusmodi adiicere quoque ſolent. Ex his etiam, teſte VALENTINI b) & *Pharmacopoeia Pariſienſi* c) per 5. vel 6. dies aqua ſimplici maceratis deſtillatur *oleum* coloris aurei, quod *flatus* egregie diſſipat, & *lumbricos* infantum pellit, ſive interne ſive externe adhibeatur. Tota etiam *immatura*, ſi circiter nucis moſchatae magnitudinem acquiſierunt, recentia *ſaccharo liquido condiuntur*, quorum unum vel alterum mane, dum potum Theae vel Coffe bibunt, vel mox ante prandium, ad excitandum appetitum & coctionem adiuvandam a nobilioribus hic aſſumi ſolent. *Galli ex ſolis pomis maturis, in fruſta diſſectis & contuſis, aquam eliciunt*, quae vires non contemnendas ad ſedandam ſitim, aeſtum extinguendum & corroborandum poſſidet. Nonnulli, notante I. BAVHINO d), *aquae ſtillatitiae* mali aurantii tepidae quadrantem, tanquam ſummum arcanum contra venena praebent: nam vomitum provocare, & occulta facultate veneni vim extinguere aſſeverant. Galli quoque parant *vinum chalybeatum*, e) quod quoque ingreditur pomum aurantium amarum, efficacis ſane virtutis

---

a) Vid. Schultz. praelect. in Diſp. Brand. b) in Muſeo Muſeorum. c) 1732. edit. d) In Hiſt. Plantar. p. 104. e) Vid. Pharmac. Pariſ.

tis ad corpus, a morbo labefactatum, rurſus roborandum, id quod ad cachecticos & hypochondriacos, itemque hyſtericas curandas admodum utile eſſe cenſeo.

§. VI.

Si *partes pomi perſpiciamus*, ex qualibet fere parte quam plurima remedia parari docet Pharmacia. Dum autem primo *cortices* occurrunt, videmus ſtatim ab his nobis ſuppeditari 1) *Eſſentiam* ſeu *Tincturam*, quae optime fit, ſi flaved. cort. aurant. recent. leniter ſiccatorum immittatur ſpiritui cort. aurant. & ſic ſtent per aliquot dies in digeſtione, unde Eſſentia fit aurei coloris & virtutis efficaciſſimae; quae vel ſola vel aliis eſſentiis aut aquis deſtillatis mixta ventriculi & inteſtinorum vitia, & ex his oriunda ſymptomata ac morbos, praeſertim colicam flatulentam mirum in modum tollit. Praeſervat quoque contra aeris malignitatem. Si vero eiusmodi *Tinctura ex cort. aurant. Curaſſav.* (Cap. I. §. XII. N. 25.) conficiatur, fit tum priorem multis paraſangis antecellens & praecipue *ad colicam* divinum fere remedium, ſiquidem ex ore Celeb. Hildeſienſium Medici habeo, quod talis eſſentia ſperatum dederit effectum in colica, quae alia praeſtantiſſima remedia repudiaverit, ita ut ſibi ad hanc, quaſi ad ſacram anchoram, confugiendum ſit. 2) *aquam*, quae triplex reperitur, *una ſcilicet cum vino*, *altera* cum ſpiritu vini, & tertia cum aqua ſola deſtillata, eidem fere uſui, ac eſſentia, licet non adeo efficax ſit, deſtinata, & ſpeciatim ab HARTMANNO in pica laudatur. a) Pertinet & huc aqua Carminat. ex cort. aurant. rec. pomi chinenſ. & citri cum Vino Tockav. deſtillata & poſtea Iulepo roſarum edulcorata: quae Friderico I. Regi Boruſſiae frequenti fuit in uſu. b) 3) *Sirupum*, qui optime eadem methodo, quae in *Praeparata ex corticibus.*

I 2 prae-

a) in Praxi chymic. b) Vid. HOFFM. Diſſ. de vino Hungarico.

praeparatione ſirupi naphae (§. III) propoſita eſt, efficiendus, eidemque uſui conſecrandus, praeſertim ſi olei deſtill. guttae quaedam addantur; cum eo etiam *electuaria febrifuga* apte conficiuntur. Laudatur tamen adhuc ſpeciatim in *Pica gravidarum* cum aqua deſtillata vel Elixirio aurant. praebenda, item & in ſcorbuto. a) 4) *Electuarium ſeu Gelatinam*, quae ex corticibus externis recentibus lege artis amarore ſuo exutis, vel & contuſis & cum malvatico ſaccharoque mixtis paratur. BOERHAAVIVS b) aliam tamen adhuc tale electuarium parandi viam monſtrat, tribusque ſimul verbis praeſtantiam huius remedii indicat, dum morbis mortique maricolas eripere aſſerit. 5) *oleum* 1) *deſtillatum*, quod uberius elicitur, ſi cortices pomorum maturorum conciſi aqua calida per aliquot dies macerentur, & ex balneo Mariae lege artis deſtillentur: oleum hocce fragrantiſſimum & limpidiſſimum aliis, ex aurantio praeparatis, ob principium ſuum ſulphureum concentratum virtute ſua, praeſertim ſudorem movendi & ſimul carminandi, morbosque alios a cauſſa frigida oriundos profligandi, palmam praeripit, ſive guttatim in vino vel alio quodam liquore, ſive in *forma elaeoſachari*, vel etiam aliis remediis mixtum, aſſumatur. BOERHAAVIVS oleum hoc ut emmenagogum in morbis virginum laudat. c) I. BAVHINVS d) *ad partum pellendum* omnibus ex aurantio praeparatis primas praeripere teſtatur: dum cordi ſimul amicum & multis in morbis utiliſſimum ſit compertum. Ex eo etiam cum ſevo cervino paratur *unguentum*, quo inungitur umbilicus in *ſtranguria;* vel etiam fieri poteſt *linimentum*, praeſertim cum oleo carvi, angelicae vel aniſi, & cumini, quod illitum abdomini aut umbilico expertum eſt *in colica & ſtranguria.* e) Eodem modo, ſed cum oleo abſinthii & tanaceti paratum, & iisdem locis applicatum, maxime *pro-*

a) Vid. ETTMVLL. Coll. Pharmac. p. 550. b) Elem. Chem. Tom. II. proc. IV. c) Mat. Med. §. 1291. N. 4. d) Libr. cit. p. 104. e) Vid. ETTMVLL. l. c.

prodeſt verminantibus. Habetur quoque ex hoc oleo *balſamum* ſic dictum *aurantiorum*, a) quod fit mixtione olei huius cum oleo nucis moſchatae expreſſo, ac ſpiritu vini odore ſuo privato, addito pauxillo pulveris flaved. cort. aurant; quod balſamum non ſolum odoris ſed & maioris virtutis gratia aliis balſamis ſtomachicis admiſceri ſolet, vel & ſolum externe uſurpatur, vel etiam paullulum in ore ſumitur & ſic ſaliva ſucceſſive deglutitur, egregio ſcopo carminante & anodyno. b) Ob eundem, ſimul & *bezoardicum ac ſtomachicum* uſum atque ad ſpiritus reſuſcitandos, oleum hoc balſamo, quod legitur apud *Lemerium* c), itemque *balſamo aromatico Mynſichti*, nec non *balſamo ſtomachico* & carminativo *Norinbergenſium* admiſcetur. Alias etiam oleum hoc cum balſamo aniſi pro externo illitu in inflatione ſtomachi, uti & in febribus malignis, pulſibus & regioni cordis applicandum praeſcribitur d) Indi ex aurantio *chamerambaco* dicto (Cap. I. § XII. N. 27.) *oleum parant* ad *paralyſin efficax*; e) Sine damno adhuc experiendum eſſet, annon oleum mox deſcriptum eandem haberet membra paralytica roborandi virtutem? II) invenitur *oleum expreſſum*, paribus cum priore, virtutibus inſtructum. Proſtat etiam ol. ex flaved. cort. aurant. recent. ope digitorum in peculiaria vitra, anguſtis collis donata, expreſſum, f) quod ex Hiſpania transfertur, & venditur ſub *nomine quintae eſſentiae aurantiorum*, quod longe ſubtilius & ſuavius eſſe dicitur oleo deſtillato. III) Habetur & in quibusdam pharmacopoliis *oleum coctum cort. aurant;* ſed quod exiguae eſt virtutis. 6) *Condita ſaccharo*, quae ventriculi & inteſtinorum vitiis adverſantur, ſpiritum ſuavem reddunt, atque ad maniam a febre,

a) Conf. Diſpenſat. Brandenb. b) Vid. SCHVLTZII praelect. in Diſp. Brandenb. c) Pharmacopée univerſelle p. 642. d) Vid. ETTMVLL. Colleg. Pharm. in Schroed. p. 951. e) Vid. Suppl RAII in Hiſt. Plant. L. 29. p. 80. f) Vid LEMERY Traité des drogues ſimples titulo de citris, & Hermann. Cynos. Mat. Med.

autumnali evacuantibus nimiis curata, praebentur a BOERHAVIO; a) commiſcere etiam ſolent *morſulis* ſtomachicis ab Imperatore nomen habentibus, itemque analepticos Diſp. Brand. ingrediuntur. Sic etiam morſuli ex aurantio parari poſſent, ad modum morſulorum de citro Diſp. Brand. praeſervantes, non contemnendi. 7) *Extractum*, quod tamen nullo modo parandum ſine olei ſui damno; licet hinc ab hoc effectus, ab aliis aurantiorum praeparatis expectati, non ſint ſperandi; tamen pro ſcopo ſtomachico vel in pilulis vel in forma electuarii vel ſpiritu ſuo ſolutum pro pauperibus adhiberi poteſt. 8) *Elixir* ſic dictum *aurantiorum*, quod fit ex ſpiritu aurant. ſuperaffuſo cort. aurant. rec. cum ſaccharo edulcorato. *Huius vim ſtomachicam* non ſatis laudare ſciunt, qui gratum hunc liquorem, mane praeſertim, aſſumere ſolent. 9) *elaeoſaccharum* quod ex tempore fit; ſi cortices ſaccharo fricantur, eadem virtute, ac oleum ipſum, pollens. 10) *unguentum*, cuius varias ex tempore parandi methodos Cap. II. §. IV. propoſui.

§. VII.

Superfluum ſane foret, ſi omnia Medicamenta, quae cortices aurantii continent, recenſere vellem; cum tot Tincturas, Eſſentias & Spiritus ſic dictos carminativos & ſtomachicos, aquas Theriacales, Hyſtericas, Imperiales, ſirupos antiſcorbuticos & ſimilias b) remedia ingrediantur: unum tamen praeterire piaculum fore cenſeo. Eſt enim illud hodie adeo celebratum *Elixirium Viſcerale*, vel ſtomachicum & antihypochondriacum (quod & quibusdam Eſſentia cort. aurant. balſamica vocatur) HOFFMANNI. Parat autem vir Illuſtris, egregiae huius compoſitionis autor, ſequenti ratione c) Rec. cort. aurant. rec. ℥j. qui in mortario contunduntur in maſſam, cui extracti Card. bened. cent. min. & ſa-

a) de Cognoſc. & Cur. morb. & Mat. Med. §. 1126. b) Conf. Pharmacopoeia Pariſienſis edit. 1732. c) Vid. eius Diſſert. de Vino Hungar.

ſalis tartari aa ʒij. admiſcentur, tum affunditur vini Hungar. praeſertim Tockav, (in cuius defectu vinum Hiſpanic. etiam inſervire poteſt.) ℔j. medica, & ſic fiat extractio in balneo Mariae; Expreſſo poſtea liquori addantur adhuc olei macis & de cedro ana guttae XX. & ſic uſui ſervatur, a) Medicamentum ſane eſt & guſtu amicum & virtutibus incomparabile; ſiquidem in omnibus morbis a prava digeſtione natis & primis in viis ſedem habentibus maximeque in moleſtiſſimo illo Hypochondriorum malo & inde oriente aſthmate flatulento, praeſentaneum levamen attuliſſe quam ſaepiſſime obſervavi. Plura in Hoffmannii ſcriptis variis de eo legi poſſunt. Priusquam vero de corticum praeparatis loqui deſinam, non inutile fore cenſeo, ſi aquam quandam, ex meris aurantiorum praeparatis conſtantem, Ill. Dn. PRAESIDI analepticam dictam, publicem, quae tali ratione conflatur:

℞. V. flor. aurant.
cort. aurant. S. V. a ℥iß.
C. V. ℥j.
Eſſ. cort. aur. ʒj.
Sir. cort. aurant. ʒij.

M. D. de qua ſubinde cochl. I. vel ij. aſſumuntur, quam mixturam Ill. DN. PRAESES aegris in virium proſtratione, qui ſimul flatibus, cum ventriculi dolore & ſingultu, valde anguntur, optimo cum ſucceſſu ſaepius exhibuit.

§. VIII.

Nec *ſuccum* ſine praeparationibus liquerunt Pharmacopoei. Parant enim hinc etiam *ſirupum*, tam ex pomis dulcibus, quam amaris. Recip. autem ſucci aurant. bene depur. ℔j. ſacchar. albiſſ. ℔ij. m. coq. leni igne (alias acidum vel dulce eſſentiale facile avolat) & ſervetur pro uſu. Datur hic *Praepa-rata ex ſucco.*

a) Si huic compoſitioni extr. abſinth. & gentian a ʒ ij. adhuc addantur, tum audit *Elix. Stomachicum Garelli*, Archiatri quondam Imper. *Caroli VI*: quod Viennae in Auſtria aliisque locis Germaniae ſuperioris frequenter uſurpatur.

hic per ſe, vel mixturis diffuſis, electuariis aut linctibus admixtus. Sirupum ex ſucco dulci ad pleuritidem conducere aſſerit TRAGVS; a) acidus autem gratum & excellens cordiale & ſtomachicum audit, nec non in affectibus inteſtinorum colicis & animi deliquiis convenit, itemque malignitati humorum reſiſtit, eamque diſſipat; Ideo & ob vim ſedandi ſitim & calorem in febribus acutis extinguendum valde proficuus eſt. Laudatiſſimus HOFFMANNVS cum ſucco aurantior *Tincturam quoque martis* parat, & in febribus hecticis lentis & a vitio hypochondriorum ortis commendat. Paratur autem eodem modo ut Tinct. martis cum ſucco Pomorum Borsdorff. aut cydonior. Succus etiam per ſe ſumi, vel & aliis medicamentis, tam antiſcorbuticis quam ſtomachicis, commiſceri poteſt. DORNKRELIVS in Empyria ſua Medica etiam communicat Ungt. de aurantiis dictum, ex Thereb. lot. ℥iij. ol. roſar. ʒvj. ſucc. trium aurant. vitell. ovor. N. iij. conſtans, quod expertiſſimum in ſcabie antiqua & ſicca eſſe aſſeverat. b)

§. IX.

Ex *ſemine quidem etiam oleum exprimi poſſet*, quia vero exiguae deprehenditur efficaciae, rariſſimeque adhibetur, ideo labori huic impendendo melius parcitur. Potius autem *ad parandas emulſiones* in febribus calidioribus & exanthematicis item & *verminoſis* nec non in datis venenis inſervire poſſunt. Denique adhuc monendum reſtat *ex foliis aurantiae*, tam ſiccis, quam recentibus, oleum elici poſſe. Methodos vero hiſce proceſſibus aptiſſimas nobis indicat Celeb. BOERHAAVIVS c) uſumque & vires non exiguas ſimul praeclariſſime exponit; ad quem lectores benevoli ablegantur.

a) in Herb. ſuo p 816. b) plures huiusmodi unguentorum compoſitiones videri poſſunt in Libr. cit. c) Elem. Chem. Tom. II proc. 16. & 23.

OBS. pag 10. ad finem §. II. dixi nullum Nerantii apud *Nicandrum* inveniri vocabulum, id quod etiam verum eſt: interea tamen apud eius Scholiaſtem illud poſtea deprehendi, p. 71. edit. Paris. An. 1557. id quod hic monere volui.

F I N I S.